*AUTHOR:*

PRIESS, HUBERTUS

*TITLE:*

USUM ADVERBII QUATENUS FUGURINT...

*PLACE:*

[S.l.]

*DATE:*

1909

Master Negative #

93-81401-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Priess, Hubert, 1886-
Vsvm adverbii qvatenvs fvgerint poetae Latini qvidam dactylici, dissertatio... qvam ... scripsit Hvbertvs Priess... Marpvrgi, Cattorvm, 1909.
96 p. 22 cm.


Thesis. Marburg.
Volume of theses.

350117

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: ___
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/11/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202












MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 3

# VSVM ADVERBII QVATENVS FVGERINT POETAE LATINI QVIDAM DACTYLICI.

---

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HVBERTVS PRIESS
AHRENSBOECENSIS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS JOH. AVG. KOCH
MCMIX

Referente *Theodoro Birt* dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine adprobata die XXIII. mensis Iulii a. MCMIX.

Parentibus Optimis
Sacrum.

# Praefatio.

Opusculo quod inscribitur *De vi atque usu adiectivi praedicativi apud aevi Augustei poetas Latinos* (Halis 1879) L. Pick inquirendum sibi proposuit, utrum usus adiectivi praedicativi i. e. adiectivi vice adverbii fungentis sit vere latinus necne.

Exemplis demonstrare conatus est consuetudinem illam dicendi apud aevi Augustei poetas tam crebro obviam iam in antiquiore poesi Latina inveniri et imprimis ad poetas comicos revocandam esse.

Cuius usus poetici causam sitam esse putat in verborum generibus, quibuscum adiectiva illa praedicativa sint coniuncta, non in adiectivorum ipsorum notione. Quae vera esse ut comprobetur, vir doctus exorditur a verbis verbi substantivi vicariis, ut constare, durare, iacere, manere, vivere al.

Deinde agit de verbis affectuum praeter alia afferens magnam seriem locorum imprimis Plautinorum, quibus adiectivum ‚miser' coniunctum cum verbis affectuum loco adverbii scriptum esse putat. Sed statuendum mihi videtur formas adiectivi miser his locis nihil nisi interiectiones esse, e. c. Pseud. 784: *metuo miser;* Mil. 801: *cupiet miser;* Mil. 8: *(machaera) quae misera gestit* = »das arme, welches ....«; 1199: *inhiat, quod nusquamst, miser.* Sufficiant haec.

Sequuntur verba veniendi et quiescendi, quae adiectivi praedicativi usui favere censet vir doctus. Qua in re tamen plane respiciendum esse adiectivorum ipsorum genus ex exemplis his cognosces:

Plaut. Stich. 394/5: *ego huc citus praecucurri;*
Merc. 600: *tristis incedit;*
Mil. 1199: *hilarus exit.*

Adverbium enim ‚cito' coniunctum cum verbis veniendi saepius apud Plautum occurrit, cum locutiones tales ut *tristiter cedit* vel *hilare exit* numquam invenias. Magni igitur refert distinguere quibus adiectivorum generibus verba adiuncta sint.

Sed ad alia nos convertamus exempla.

p. 24 sqq. Pick disputat de usu adverbii ‚obviam', cuius loco adiectivi ‚obvius' formae ponantur iam apud Lucretium. Etiam his exemplis vir doctus comprobari putat consuetudinem illam syntacticam revocandam esse ad verborum genus (verba veniendi et quiescendi) neque intellexit causa alia poetas dactylicos coactos esse adiectivi formas usurpare, cum vox ‚obviam' creticum continens versui dactylico inseri non possit. Recte quidem Pick commemorat arte aevi Augustei poetarum rationem illam dicendi ad perfectionem quandam et maturitatem adductam esse; sed quae fuerint causae huius usus syntactici apud poetas dactylicos late patentis, plane celavit.

Itaque mihi proposui opusculo hoc de adverbii et adiectivi apud poetas dactylicos Latinos usurpatione accuratius disputare respiciens consuetudinis illius syntacticae causas, quas varias esse postea cognosces.

Priusquam autem ad rem ipsam accedamus, verba nonnulla faciamus de adiectivi praedicativi usu qui invenitur apud sermonis pedestris scriptores. In Catonis atque Varronis scriptis nullum eiusmodi exemplum mihi ante oculos venit. Transgrediamur igitur statim ad Ciceronem, cuius ex operibus exempla pauca allata invenies apud Draeger, H. S.[2] I, 352; Kuehner, Gramm. Lat.[2] II, 176/77; Hellmuth, Acta sem. phil. Erl. 1878, p. 135.



Lexicis illis utilissimis assumptis quae composuit Merguet mihi facultas data est conferendi maiorem exemplorum seriem, quorum enumero haec:

adsiduus: Cael. 10: *fuit adsiduus mecum ...;* Rosc. Am. 81: *ruri adsiduus ... fuit;* Hellmuth citat praeterea 18; 51; 81; 92; 94. contra Brut. 316: *adsiduissime mecum fuit.*

frequens: De orat. I, 243: *frequens te audivi;* sed cf. Nat. I, 59: *Zenonem audiebam frequenter.* Adde: Rosc. Am. 16; 18; Cluent. 54; Pis. 80.

invitus: Fin. I, 4: *tabellas .. non inviti legant.* Aliter Catil. IV, 7: *itaque eam (mortem) sapientes numquam inviti, fortes saepe etiam libenter oppetiverunt.*
Quo ex loco Ciceronem adverbium ‚invite' vel ‚invito' aspernari elucet; quod melius docet exemplum hoc: Tusc. IV, 78: *Defervescere ... ardorem animi invita ratione excitatum.* cf. Verr. III, 96: *(negotiatores) inviti enim Romam raroque decedunt.* Addo Tusc. I, 40; III, 65; off. II, 68; epist. XIII, 63, 1. Adverbium invite ipsum non nisi in epistulis scriptum occurrit, dico locum a viris doctis multum tentatum qui legitur in epistulis ad Atticum scriptis (VIII, 3, 4): *invite cepi Capuam.* Vox invite quam codices optimi tradunt — ceteri inde — servanda est, cum viri docti postulent alii lente alii alia.

laetus: Div. I, 73: *(Dionysus) equum alacrem laetus aspexit.* cf. Tusc. I, 74; 118; pro Font. 33; Verr. IV, 47; Sest. 131 saepius. Adverbium in orationibus tantum legitur Philippicis: IX, 7; I, 8 (comparativus).

libens: pro Mil. 38: *gloriam libens agnovisset, ut ...* (Quo loco Cicero libens scripsit, ut creticum

nancisceretur ante agnovisset; clausulam enim ob oculos habemus).

Verr. III, 118: *utrum libentes an inviti dabant*, quocum loco velim conferas Catil. IV, 7: *itaque eam (mortem) sapientes numquam inviti, fortes saepe libenter oppetiverunt.*

Adverbium multo crebrius adhibetur.

maestus: de div. I, 59: *cum in locis solis maestus errares.* Praeterea Tusc. V, 78; Phil. VI, 10; adverbium ‚maeste' apud Ciceronem usu non venit; traditur loco hoc: Cornif. rhet. 3, 24. Plautus semel forma ‚maestiter' utitur.

noctuabundus: Att. XII, 1, 2; *noctuabundus ad me venit.*

obvius: Rep. I, 7: *me obvium ferre.*

Planc. 96: *insula . . . sese obviam ferre vellet* (hic haut scio an adverbium ante oculos habeamus). Att. VI, 4, 3: *tu fac, ut mihi litterae volent obviae;* 5, 1: *velim obvias mihi litteras mittas* (obviam cod. Io. Mang. teste Beiero).

contra conferas: epist. II, 12, 3: *Tu mihi obviam mitte epistulas.* Att. XII, 5 c: *ego misi Tironem Dolabellae obviam.*

occultus: Lael. 99: *callidus ille et occultus ne se insinuet.*

praeceps: Rosc. Am. 23: *praecipitem exturbat.* Verr. IV, 68: *praeceps provincia exturbatus.* Adverbium non extabat; Lucretius formavit vocem praecipitanter.

nullus: Att. XI, 24, 4: *Philotimus non modo nullus venit.* cf. XIV, 3, 1; XV, 22; 29, 1; Catil. I, 16.



De vi adiectivi nullus pro negatione usurpati cf. quae protulit W. Pfeiffer [1]).

segnis: frgm. E V, 18 (C. F. W. Mueller ed.) *segnis consecuta est.*

tacitus: Nat. III, 19: *maximae res tacitae praeterierunt.* Verr. V, 179: *potero ego hoc onus . . . tacitus sustinere.* Praeterea: Verr. III, 41; 133; IV, 104; Tusc. I, 14, 31; Marcell. 1; de imp. Pomp. 48; Planc. 46; Catil. I, 18.

tardus: Div. II, 64: *haec portenta dedit tardaque atque sera nimis.*

Haec sufficiant de scriptoribus pedestribus qui vixerunt ante poetarum nostrorum dactylicorum aetatem. Ceterum monendum est apud Ciceronem usum formarum adverbialium si eum comparas cum nominali, multo crebrius inveniri.

Sed redeamus ad propositum nostrum, cuius parte prima disputabo de adverbii usu apud poetas obvio, qui quam rarus sit quam maxime respiciendum est quo facilius intellegas unde factum sit ut regnet figura illa syntactica qua adiectivum loco adverbii ponitur.

In materia pertractanda examinavi Vergilium, Tibullum, Propertium totos; Ovidii ex carminibus elegi Amorum, Tristium, Metamorphoseon libros, denique epistulas ex Ponto scriptas. Assumpsi libros notissimos de arte grammatica conscriptos Kuehneri, Draegeri al.; praeterea inspexi Neue-Wagneri »Formenlehre der lat. Sprache«. Simul apponam quibus usus sum operibus ad partem mei opusculi alteram pertinentibus; sunt haec: Brénous, étude sur les hellénismes dans la syntaxe Latine, Paris 1895; Holtze, syntaxis priscorum scriptorum Latinorum usque ad Terentium, Lpz. 1861; Lindsay, Syntax des Plautus, Oxford 1907;

1) W. Pfeiffer, Quibus legibus non et haud particulae apud poetas Romanos praecipue Augusti imperatoris temporum positae sint. Marburg 1908. p. 43/44.

J. H. Schmalz, Lat. Syntax und Stilistik, München 1900 (Hdbch. d. kl. Alt.); K. Reisig, Lat. Syntax nach Vorlesungen, neu bearbeitet v. J. H. Schmalz u. G. Landgraf, Bln. 1888; F. Stolz, Histor. Grammatik der lat. Sprache, Lpz. 1894.

---

Pars I.

# De usu adverbii.

## 1. De adverbiis in ê exeuntibus.

Pauca praemonenda videntur. Adverbia enumerans non respexi ea quae in â (e. c. *una*, *citra*), quae in —im (e. c. *passim*, *sensim*), quae in —itus (e. c. *divinitus*, *radicitus*) exeunt, quia nihil valent ad quaestionem nostram. Neque enim loco adverbiorum illorum adiectivum eiusdem stirpis praedicative poni potest.

Saepius, ubi adverbium adpositum mihi occurrebat adiectivis vel participiis, uncis inclusa exempla citavi; quibus locis adverbia posita sunt ad augendam adiectivorum vel participiorum vim, neque ibi nimirum adiectiva praedicative substitui poterant.

Exordiar ab adverbiis in *e* litteram longam exeuntibus, quorum inveni haec:

**abunde**: Verg. A. VII, 552; Ov. Met. XV, 759; Trist. I, 7, 31; Pont. IV, 8, 37.

**adsidue**: Verg. Ecl. 2, 4; G. [2, 374]; 441; A IV, 248; VIII, 55; Tib. I, 3, 64; Prop. I, 7, 13; II, 19, 11; III, 21, 3; Ov. Am. I, 2, 36; Trist. I, 5, 73; II, 499; Pont. III, 4, 45; IV, 12, 40.

**aegre**: Verg. G. 3, 534; Ov. Am. I, 5, 16; Met. VIII, 593; XII, 533; Trist. III, 5, 2.

**aeque**: Verg. G. 2, 215; 454; 3, 118; A. XI, 32 *(felicibus aeque)*; XII, 840; Tib. IV, 5, 13; 12, 1; Prop. III, 8, 35 *(aeque formosa)*; Ov. Met. X, 185; 221; Trist. III, 8, 34.



**alte**: Verg. G. 2, 78; 230; 521; 3, 241; 422; A. I, 337; 506; V, 443; VI, 145; VII, 465; IX, 749; X, 850; XI, 496; 751; 804; XII, 729; Tib. II, 5, 99; Ov. Am. I, 12, 6; Met. II, 166; IV, 121; V, 588; VI, 266; VIII, 226; 795; XII. 248; XV, 697; Trist. III, 4, 23.

**amice**: Ov. Pont. II, 7, 19.

**aperte**: Tib. II, 3, 29; 71; Ov. Pont. III, 6, 59.

**apte**: Ov. Am. I, 4, 5; 8, 88; II, 17, 21; Met. II, 733; IV, 181; IX, 611; XIV, 685.

**avide**: Ov. Am. III, 8, 59; cf. a. a. 3, 759; Fast. 3, 752.

**bene**: Verg. Ecl. 2, 48; 3, 94; 9, 6; A, IV, 317; 539; IX, 157; 206; Tib. I, 3, 35; 5, 1; II, 1, 31; 4, 49; 5, 8; 12; 62; 81; 6, 14; 30; Lygd. 6, 35; 36; Pseudotib. Paneg. 202; Tib. IV, 2, 17; 6, 9; 13, 9; Prop. II, 29, 8; 34, 6; III, 17, 27; 25, 8; IV, 1, 41; 94; 110; 141; 3, 40; 6, 44; 11, 97; Ov. Am. I, 1, 17; 2, 10; 43; 4, 41; 53; 8, 7; 37; 96; 107; 10, 37; 38; 11, 15; 13, 6; 14, 37; II, 1, 16; 2, 33; 3, 18; 6, 24; 9, 27; 15, 5; 17, 8; 18, 39; 19, 50 (bis); III, 2, 36; 4, 5; 6, 40; 7, 1; 8, 7; 10, 16; 31; 14, 45 (bis); Met. I, 9; 132; II, 47; 393; 846; III, 14; 141; VII, 716; 774; 854; VIII, 409; 862; IX, 488; 489; X, 26; XI, 260; XII, 616; XIII, 68; 270; 808; 944; XIV, 79; 583; 675; 753; XV, 669; 827; Trist. I, 2, 41; 5, 7; 7, 15; 9, 66 (bis); 10, 3; II, 203; III, 3, 35; 4, 25 (bis); 12, 3; IV, 3, 7; 6, 35; V, 2, 35; 4, 50; 6, 19; 7, 33; 9, 9; 10, 20; 12, 41; 43; Pont. I, 1, 58; 2, 105; 3, 27; 39; 5, 53; 6, 4; II, 3, 49; 53 (bis); 96; 7, 22; 9, 34; III, 1, 92; 101; 3, 16; 4, 92; 5, 51; 7, 9; 23; 9, 6; IV, 2, 46; 10, 17; 14, 11.

**care**: Prop. II, 23, 11.

**caste**: Ov. Pont. II, 1, 33.

**certe**: Verg. Ecl. 3, 102; 8, 107: 9, 7; 10, 37; A. I, 234; 328; XII, 881; Tib. I, 4, 3; Pseudotib. Panegyr. 26; Prop. I, 18, 1; II, 7, 1; 8, 7; 10, 5; 12, 14; 15, 47; 16, 35; 18, 29; 26, 43; 32, 46; 33, 7; III, 21, 29; Ov. Am. I, 4, 68; 6, 19; II, 9, 44; 10, 1; III, 3, 34; 48; 7, 47, 59; 9, 49; Met. I, 195; 558; II, 423; 543; III, 266; 455; IV, 701; V, 345; 616; VII, 13; [28]; 677; VIII, 58; 64; 99; 186; IX, 624; X, 400; 487; XI, 321; 441: 478; 696; XII, 108; 540; XIII, 287; 387; 501; 840; XIV, 30; 176; 722; XV, 461; Trist. I, 1, 16; 2, 44; 69; II, 116; III, 12, 40; IV, 2, 64; 4, 28; 5, 13; Pont. I, 1, 7; [65]; 5, 78; 6, 11; II, 9, 47; 10, 45; III, 5, 42; IV, 5, 14; 7, 7; 8, 24; 9, 127; 13, 5.

cupide: Tib. I, 4, 24; Ov. Am. III, 7, 9 *(c. luctantia linguis).*
digne: Ov. Trist. V, 3, 55.
dubie: Met. VII, 508; X, 287; Ov. Pont. II, 3, 87 (bis).
fere: Verg. G. 2, 203; A. III, 135; V, 327; 835; Ov. Am. I, 5, 4; II, 6, 39; Met. II, 497; III, 708; VII, 804; X, 174; XII, 584; Pont. II, 2, 120; III, 3, 6; 4, 73; 9, 35; IV, 4, 4; 7, 38.
foede: Verg. A. V, 794; X, 498 *(caesa manus iuvenum foede).*
formose: Prop. II, 3, 17.
furtive: Ov. Am. II, 5, 16 *(f. data).*
Getice: Ov. Trist. V, 12, 58; Pont. III, 2, 40.
indigne: Ov. Am. III, 6, 102.
iniuste: Ov. Met. II, 378 *(i. missi . . . ignis).*
intempestive: Ov. Pont. IV, 11, 20.
lascive: Ov. Am. II, 10, 27.
late: Verg. G. I, 116; 319; 2, 11; 132; 281; 296; 3, 355; 477; 4, 16; 30; 113; 359; 431; 515; A. I, 21; 163; 181; 564; II, 466; 495; 698; III, 538; IV, 42; 409; 526; V, 761; VI, 265; 378; VII, 104; 486; 525; 681; 737; VIII [14]; 24; 598; 671; IX, 190; 381; 517; X, 362; 583; XI, 144; 601; XII, 308; 454; 543; 607; 929; Ov. Am. I, 11, 20; II, 6, 53; III, 1, 13; Met. I, 268; II, 318; 825; IV, 436; V, 76; VI, 218; VII, 442; 551; IX, 162; X, 110, XI, 150; XIII, 442; Trist. III, 10, 56; 77.
Latine: Ov. Trist. V, 7, 53; 12, 57.
laxe: Ov. Am. II, 10, 18.
lente: Ov. Am. I, 13, 40; III, 5, 17; Met. III, 15; XI, 179 *(l. gradientis aselli).*
longe: Verg. Catal. I b, 4; G. 1, 358; 2, 163; 3, 225; 477; 4, 70; A. I, 13; 31; 252; II, 711; III, 556; 703; V, 23; 133; 318; 406; 428; 579; 866; VI, 316; 378; 476; VII, 288; 516; 701; VIII, 92; 623; IX, 322; 556; 572; 771; X, 224; 317; 572; 716; 721; 754; 843; XI, 94; 387; 606; 617; 769; 860; 909; XII, 44; 52; 452; 470; 480; Tib. I, 5, 2; Lygd. 4, 93; Prop. I, 7, 17 bis; 20, 18; [IV, 1, 36]; Ov. Am. I, 6, 52; 13, 37; Met. II, 374; IV, 325 bis; 623; 650; 777; VI, 260; VIII, 435; 811; X, 664; 719; XI, 479; 772; 794; XII, 586; XV, 453; Trist. I, 10, 7; III, 4, 4; 53 bis; 10, 55; IV, 2, 18; 67; 9, 17; V, 1, 13; Pont. I, 5, 81; II, 7, 11; III, 2, 46; 5, 56; IV, 7, 31; [9, 93].



magnifice: Tib. II, 6, 11 *(m. mihi magna locuto).*
male: Verg. G 1, 105; 360; 448; 3, 249; A II, 23; 735: IV, 8; Tib. I, 4, 57; 76; 10, 51; II, 1, 30; IV, 10, 2: Prop. IV, 1, 53; 6, 63; Ov. Am. I, 6, 41; 70; 10, 44; 14, 24; 35; 51; II, 1, 13; 18, 23; III, 3, 18; 5, 36; 7, 3; 77; 8, 15; 66; Met. II, 148; III, 474; 730; IV, 285; 350; 521; V, 240; VI, 467; VII, 397; 440; 727; 728; 741; VIII, 509; IX, 493; 600; X, 80; 438; 503; 738; XI, 102: 136; 437; 438; XII, 115; XIII, 58; XV, 95; 380; 463; 770; Trist. I, 6, 13; 10, 27; II, 93; III, 1, 7; 7, 16; 13, 7; IV, 2, 41; 6, 48; V, 3, 39; 7, 12; 10, 39; 11, 3; 12, 25; Pont. I, 2, 66; 105; 111; 6, 53; II, 2, 105; 7, 2; 9, 34; III, 4, 75.
maligne: Ov. Met. XIII, 270.
mature: Ov. Pont. II, 8, 49.
minime: Verg. A VI, 87; Ov. Trist. IV, 4, 7: V, 10, 19; 11, 5.
misere: Ov. Trist. III, 10, 63 *(m. confixa).*
modeste: Ov. Pont. I, 2, 65.
modice: Ov. Pont. I, 7, 46.
occulte: Verg. A XII, 418 *(o. medicans)*; Tib. IV, 6, 6; Ov. Am. I, 8, 49; Met. X, 519; Trist. III, 4, 72.
parce: Ov. Trist. II, 128.
pie: Tib. I, 3, 25.
pigre: Ov. Met. II, 771.
placide: Verg. A V. 86 *(placide amplexus)*; Tib. II, 4, 49; Ov. Am. II, 9, 24; Trist. IV, 8, 30.
praecipue: Verg. G 2, 372; 3, 51; 101; A I, 220; 712; II, 112; VI, 176; VII, 746; Tib. II, 5, 109; Prop. I, 4, 27; 22, 6; IV, 8, 66; Ov. Am. I, 4, 38; 8, 99; Met. IV, 551; VIII, 726; XII, 164; XIII, 544, 805; Trist. I, 5, 2; III, 8, 10; Pont. IV, 6, 41.
propere: Verg. A VI, 236; IX, 801; XII, 573; Ov. Met. VI, 201.
proprie: Ov. Trist. III, 13, 17 *(libaque dem proprie notantia).*
proterve: Ov. Am. I, 4, 45.
pulchre: Ov. Am. III, 8, 5.
pure: Tib. I, 3, 25.
recte: Ov. Pont. II, 3, 13 *(recte facti).*
rigide: Ov. Trist. II, 251; Pont. III, 3, 55.

sane: Verg. Catal. V, 11; VII, 3; A X, 48.
sancte: Prop. II, 26, 26.
Sarmatice: Ov. Trist. V, 12, 58; Pont. III, 2, 40.
stulte: Tib. I, 9, 45 *(stulte confisus)*; IV, 13, 18; Ov. Trist. I, 1, 80.
tacite: Ov. Pont. IV, 10, 54 *(tacite peragens)*.
tarde: Verg. G 2, 3 *(tarde crescentis olivae)*; Ov. Am. II, 2, 23; Met. IV, 91; Trist. II, 57; III, 3, 11; IV, 10, 56, V, 10, 5.
tempestive: Ov. Trist. IV, 10, 81 *(t. que sepulti)*.
timide: Tib. I, 2, 15; Ov. Met. I, 746; IX, 215; X, 274; Trist. III, 1, 1.
vere: Verg. A VI, 188; IX, 617 *(o v. Phrygiae)*; Tib. I, 10, 2 *(v. ferreus)*; Ov. Am. I, 12, 12 *(v. sanguinulentus)*; Met. VIII, 131 *(vere coniuge)*; 322 *(v. virgineam)*; Trist. V, 10, 14 *(v. sinistra)*; Pont. I, 5, 31 *(v. sanos)*; III, 1, 34; IV, 13, 2.

Quam adverbiorum littera ê terminatorum enumerationem accuratius cum inspexeris, et pro numero adiectivorum rarissima esse neque vero aequaliter esse admissa a poetis cognosces. Apparet enim Vergilium et Propertium adverbia illa magis sprevisse et evitasse, cum imprimis apud Ovidium inveniantur non pauca. Vergilium praeterea videmus adverbia affectum et procedendi modum continentia ne uno quidem loco usurpavisse nisi quod adest ‚propere' cuius de usu separatim disputabo. Apud Propertium haec tantummodo adverbia occurrunt: adsidue, bene, certe, longe, male, praecipue; quorum in locum excepto ‚adsidue' adiectivorum formas substitui non potuisse intelleges. Praeterea solus hic poeta neque alius quisquam adhibuit voces ‚care, formose, sancte', II, 23, 11: *quam care semel in toto nox vertitur anno*; II, 3, 17: *quantum quod posito formose saltat Iaccho* (sed cf. I, 15, 8: *ut formosa novo quae parat ire viro*, ubi verbum ire habet notionem vocis esse) II, 26, 26: *carmina tam sancte nulla puella colit*. Quibus locis si adiectiva substitueris, sensum valde mutari elucet.



Unum autem adhuc omisi adverbium, dico ‚iniuste'. Legimus enim apud Propertium (IV, 4, 94) verba haec: *O vigil, iniuste praemia sortis habes.* Qui cum locus non sit parvi momenti, disputatione eum placet persequi. Codex unus Neapolitanus scribit ‚iniustae', ceteri adverbium habent. Agitur nostro loco de Tarpeia virgine quae quamvis fuerit vigil, sortem immeritam passa est.

Iam Barthius et Hertzbergius acceperunt iniustae, item Lachmannus in editione priore. L. Mueller, Baehrens, Rothstein adverbium ediderunt; omitto Burmanni coniecturam *iniusti . . . Martis* sim.

Variae autem sunt causae quibus terminationem ê reicere coactus sim. Primum mihi persuasit consuetudo loquendi Propertiana qua adverbia in ê cadentia quam maxime vitari iam ostendi. Quod ad illustrandum afferam exemplum unum hoc (I, 7, 12): *Pontice et iniustas saepe tulisse minas*, ubi suo iure poeta adverbio uti potuit. Deinde loci non desunt in lingua Latina quibus sermo est de sorte iniqua; ita Vergilius: *sortemque animo miseratus iniquam* A VI, 332; cf. XII, 243. Itaque etiam sortis iniustae recte habet; denique eo facilius Neapolitanum codicem sequi possumus quod in libris *ae* et *e* saepissime permutantur, ut dici possit dativus ipse quoque exire in ê. Ceterum pessime Baehrens II, 24[a], 13 *cupide* et II, 24[b], 31 *tumide* coniecit.

Redeamus nunc ad propositum. Ovidius imprimis, rarius Tibullus, adverbia affectus et temporis nonnulla admisit, quae a Vergilio et Propertio vitari observamus; dico haec: avide, cupide, lascive, modeste, placide, proterve, stulte, timide; intempestive, mature; tempestive. Praeterea solus Ovidius adverbia modum procedendi indicantia haec admisit: lente, tarde; qui maxime indiligens apparet in epistulis ex Ponto scriptis et in Tristium atque Amorum libris; cautior in metamorphoseon carminibus.

Quoniam breviter in universum egimus de adverbiorum usu, ad singula nos convertamus.

Adverbium ‚abunde' referendum est solummodo ad verbum ‚abundare' neque ortum ex adiectivo ‚abundus', quod non nisi apud Gellium et Paulinum Nolanum occurrit. Similiter vox ‚propere' non pertinebat nisi ad verbum ‚properare' neque enim Plauti temporibus extabat ‚properus' adiectivum, erratque Festus (p. 229 Mueller), cum dicit: *properus antiquos dixisse pro celer testimonio est qualitatis adverbium quod est propere.* Non aliter vocem ‚sedulus' derivatam esse ab adverbio ‚sedulo' (i. e. se—dolo) constat; cuius de usu conferas quae protulit Buecheler (Rh. M. 35, p. 629 sq.). Miror quod Walde[1]) qui vocem sedulo tractavit, tacet de adverbiis abunde, propere. Denique addam huc spectare etiam prospere adverbium, quod prius extitit quam adiectivum prosper, quo Pacuvius primus usus esse videtur. Vide quae docet Corssen[2]) vocem illam hoc modo derivans: pro—spere (i. e. der Hoffnung gemäß).

Quibus perpensis nihil miri habet quod admiserunt Vergilius et Ovidius adverbia abunde et propere; vocibus sedulo, prospere metrum non permisit ut uterentur poetae.

Sed pergamus. Vox ‚bene' coniuncta cum verbo substantivo prorsus sermonis cottidiani propria est. Structura hac utitur e. c. Cicero in epistulis (Att. I, 16, 11 al.), non aliter Horatius (in epistulis), Catullus, Martialis. Poetarum nostrorum solus Ovidius adverbium ‚bene' voci esse adiungit hisce locis: Trist. I, 2, 41; V, 12, 41; Pont. I, 2, 105; 3, 39; III, 5, 51; 9, 6; fast. IV, 399, cf. a. a. I, 602 *(male sit)*; II, 605 *(o bene* sc. *est).* Sed etiam

---

1) Lateinisch. Etymolog. Wörterbuch, Heidelberg 1906, p. 559.

2) W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus u. Betonung der lat. Sprache, Lpzg. 1868—70, Bd. II, p. 870.



aliis cum adverbiis verbum substantivum coniunctum legitur apud Ovidium: Trist. IV, 8, 8 *in studiis molliter . . . esse* (cf. Pseud. Verg. Catal. 9, 17 *molliter . . . erant*); Trist. V, 2, 78; 11, 4; Pont. I, 1, 10; sed apud Tibullum II, 6, 26 *et fore cras semper ait melius* adverbium legi non puto; *melius* forma neutrius generis est.

Exemplis quae attuli Tristium et Ponticarum episturlarum libros ad sermonem cottidianum propius accedere comprobatur; in Amorum et Metamorphoseon libris iuncturam illam non inveni. cf. C. F. W. Mueller Philol. 9 (1854), p. 167 ff.

*Bene* etiam adiectivis adponitur. Exempla habeo pauca: Prop. II, 34, 6 *(b. concordes)*; Ov. Trist. I, 7, 15 *(b. multa)*; Pont. II, 7, 22 *(b. certa)*; a. a. 2, 263 *(b. dives).*

Ciceronem hac structura non carere exempla haec docent: Fin. 1, 52 *(b. sanos)*; 1, 71 *(b. sanos)*; 2, 94 *(b. longinquos)*; 5, 76 *(b. longam)*; Sest. 23 *(b. sanus)*; dom. 37 *(b. maritum)*; Mur. 69 *(b. magna)*; div. in Caec. 48 *(b. robustum)*; Brut. 81 *(b. peritus)*; de orat. II, 361 *(b. longum)*; cf. Tusc. II, 44; Brut. 267; Phil. 6, 18 *(b. firmum*; cf. Enn. ann. 32: *b. firmum).*

Ex epistulis addo: Att. 14, 7, 2 *(b. longae)*; epist. 5, 12, 3 *(b. et naviter . . impudentem)*; 9, 5, 1 *(b. maturum)*; Cass. Cic. epist. 12, 13, 4 *(b. magna)*; Pollio Cic. epist. 10, 32, 1 *(plane bene peculiatus*; cf. Tusc. II, 44 *b. plane magnus)*; 10, 33, 4 *(inermes b. multos)*; epist. 7, 22 *(b. potus).*

Usum hunc ad sermonem cottidianum revocandum esse primum eo ostenditur, quod in Plauti comoediis inveniuntur exempla, in Terentii nulla; deinde iunctura haec apud Ovidium occurrit nullo loco nisi in Tristium, Ponticorum et Artis libris, quos sermonis cottidiani colorem ducere iam antea statuimus (p. 17). Denique a Vergilio

prorsus devitari constat. Sed male disputat Hellmuth[1], qui agit de hoc usu, haec locutus: *Non dubium est, quin huius vocabuli usus ad sermonem cottidianum (cf. Francogallorum bien) revocandus sit; itaque Cicero ei imprimis in epistulis inserviebat.* Nam ex iis quae attuli exemplis cognosces usum hunc in ceteris Ciceronis operibus saepius occurrere quam in epistulis.

Vox ‚bene' cum adverbio coniuncta apud poetas non legitur; quae structura omnino raro occurrit.

Ovidii est proprius usus iuncturae »vix bene«, quae hisce locis invenitur: Met. II, 47; III, 14; VII, 774; XI, 260; XIII, 944; XIV, 753; XV, 669; Trist. V, 10, 20; praeter hanc dictionem, cui maior vis inest quam simplici ‚vix' (vocabulum *vix* coniunctum cum *bene*, semper significat »kaum«; ubi deest *bene*, saepe notionem »mit Mühe (= aegre)« habet) Ovidius praecipue formula *non bene* utitur; exempla haec habeo: Am. I, 14, 37; Met. 12, 616; Trist. 2, 203; 3, 12, 3; 5, 6, 19; Pont. 3, 4, 92; semel etiam Verg. Ecl. 3, 94.

Adverbium ‚longe' cum comparativo coniunctum legitur ita, ut gradatio adiectivi indicetur. Enumero Verg. A IX, 556 *(l. melior)*; Ov. Met. IV, 325 *(l. beatior)*. Ad locum Vergilianum recte iam Forbiger adnotavit: *ita poetas tantum et recentiores historicos, non Ciceronem et meliores pedestris orationis scriptores dicere constat.* Semel inveni superlativum voci *longe* adpositum: Ov. Met. XII, 586 *(l. gratissime)*. Apud Ciceronem *longe* hac notione numquam nisi cum superlativo coniungitur, comparativo anteponitur vox ‚multo' (Cic. Cato 82; saepius).

Memoratu dignus est locus Vergilianus A I, 13: *Tiberinaque longe ostia* (= ostia T., quae longe sunt); habemus enim figuram quam ὑφ' ἕν grammatici nominabant; iunctura est adverbii cum substantivo facta. Recte Haase[1]) admonet exempli Graeci Soph. Aias 204:

τοῦ Τελαμῶνος τηλόθεν οἴκου.

1) Hellmuth, De sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur, Acta sem. phil. Erl. 1878, p. 132.



Similis locus invenitur in Iuvenalis satura septima (v. 41): *haec longe ferrata domus servire iubetur* sc. recitantibus; l. domus i. e. domus, quae longe (ab)est; addo Martialis locum III, 58, 51: *Rus hoc vocari debet, an domus longe.* cf. Claudian. Eutrop. I, 476 *iniuria ... sit retro ducibus.* Plura Birt, Catalepton p. 49.

His exemplis adicio Verg. A I, 21 *populum late regem* (i. e. late regnantem; vox *rex* habet vim participii verbalis). Recte viri docti (e. c. Heyne-Wagner) comparant εὐρυκρείων Homericum vel εὐρυμέδων (conferas contra A I, 225: *latos populos)*.

Restant: Verg. A I, 198; II, 483; Tib. II, 5, 53; III, 1, 23; Prop. I, 3, 44; 6, 6; 16, 27; 22, 2.

Adverbium ‚male' saepe adpositum et bonae et malae notionis adiectivis invenitur e. c. Verg. A IV, 8 *male sana* (i. e. insana = parum sana); Ov. Am. III, 7, 3 *male languidus* (i. e. valde vel nimium languidus).

Vox »occulte« versu iterato apud Ovidium occurrit: Am. I, 8, 49: *Labitur occulte fallitque volubilis aetas;* Met. X, 519: *Labitur occulte fallitque volatilis aetas.*

Transeamus nunc ad adverbium ‚propere', quod apud Vergilium invenitur hisce locis:

A VI, 236: *His actis propere exequitur praecepta Sibyllae.*
IX, 801: *sed manus e castris propere coit omnis in unum.*
XII, 85: *circumstant propere aurigae.*
XII, 573: *ferte faces propere foedusque reposcite flammis.*

Adverbium in Plauti comoediis saepius invenitur.

2) Haase, Lat. Sprachwissenschaft, Lpz. 1874.

Tenendum est non ante Vergilium formam adiectivi ‚properus' inveniri, excepto uno loco quem testatus est Festus afferens e Catonis libro de re militari conscripto; sunt enim verba haec: *tertia e castris eductio celeris properaque est.* Neque vero Caesar neque Cicero adiectivo utuntur, Cicero ne adverbio quidem; Ovidius semel ‚properus' habet (Met. VII, 647).

Sed redeamus ad locos illos Vergilianos, quorum duo consensu codicum tradunt adverbium (VI, 236; IX, 801). A XII, 85 Romanus et Gudianus adverbium habent, reliqui adiectivum; Ribbeckius editor lectionem *circumstant properi* secutus est. Adsentiar ei et addam hoc *properi* ipsum hic adverbialiter esse positum; non pauci enim sunt loci, quibus verbum *circumstare* significat »herumtreten, umringen« (e. c. A IV, 561; VI, 486; VII, 585).

Restat A XII, 573, ubi soli Minoraugiensis et Menagianus prior tradunt: *ferte faces properi.* Tamen ‚properi' legendum esse censeo; nam cogit me ratio dicendi Vergiliana. Qui poeta imprimis imperativo semper adverbii loco adposuit adiectivum. Exempla haec mihi persuaserunt:

A IV, 594 *ferte citi flammas* (nostro simillimus locus est!);
IX, 37 *ferte citi ferrum*;
IV, 574 *solvite vela citi;*
XII, 425 *arma citi properate viro.*

Addam: A III, 493; 529. Quibus ex causis etiam A III, 266 cum plurimis codicibus — Palatinus et Gudiani prima manus tradunt ‚placide' — velim legas *placidi servate pios.* Hoc loco ne recipiam *placide*, cogit me id quod Vergilium ne uno quidem loco adverbiis quae sic ut *placide* affectum continent, usum esse constat.

Ut redeam ad vocem ‚propere', id statuendum mihi videtur esse: ambobus locis dubiis aut adverbium aut adiectivum consequenter ponere debes. Si enim Vergilius formam *properi* quae ante eum non invenitur, induxit



in linguam Latinam versu XII, 85, plane pro certo habendum est etiam loco altero (XII, 573), ubi Minoraugiensem et Menagianum secuti *properi* scripsimus *(ferte faces properi)*, idem lectum fuisse; hoc enim loco multo magis adiectivum postulari comprobavi.

Semel etiam invenitur apud Ovidium (Met. VI, 201) adverbium *propere;* ubi codices omnes (exceptis paucis deterioribus, qui legunt *ite satis properate sacris*) verba haec tradunt: *ite satis propere sacris.* Hic locus a viris doctis valde temptatus dignus est, quem denuo tractem. Coniecerunt enim Jahn »propere ite sacris«, Haupt »propere ite sacri est«, Madvig »ite, sat est, propere a sacris«, alii alia. Quibus omnibus adsentiri non possum, sed redeo ad verba tradita, quae et sensum bonum praebent et rationi dicendi poetarum prorsus respondent.

Verbum enim *ire* coniunctum cum ablativis absolutis etiam apud Vergilium occurrit (A IV, 130): *it portis* (iuventus); nempe *ire* talibus locis pro *abire, exire* ponitur. Nam poetae haud raro loco verbi compositi verbum simplex adhibent, e. c. Ov. Met. III, 562: *ite citi . . . ., ite* (i. e. abite); Verg. Ecl. 1,75: *ite meae quondam felix pecus, ite capellae.* Praeterea in comparationem voco Met. VIII, 435: *ne sit longe sibi captus amore | auctor* (sit = absit: IV, 650); Verg. A VII, 429: *(pubem) portisque moveri* (= ecferri, exire: VIII, 585).

Itaque loco illo ex quo profecti sumus quod *a sacris* postulabant necessitatem non habet. Magis aliena videri possit vox *satis.* Sed enim *satis* saepe adponitur adiectivis et adverbiis; cf. Cic. dom. 28: *s. audacter;* Sext. Rosc. 9, al.; Ov. Met. I, 196: *s. tutos;* XI, 344: *nulli s. aequus* (accipiter), i. e. keinem sehr gewogen. Itaque quamquam *satis* coniunctum cum adverbiis apud Ovidium occurrere non videtur, tamen nostro loco structura haec cur inveniatur facile intelleges, adiectivi *properus* formas rarissime ab Augusti aetatis poetis esse admissas cum respicis. Iam dixi apud

Ovidium unam solummodo formam *properus* inveniri (Met. VII, 647). Denique vertendum est: verlaßt recht schnell das Opfer.

Adverbium »vere« plerumque adiectivo adponitur; cf. tamen Verg. A VI, 188 *omnia* vere | *heu nimium* ... *locuta est;* semper ‚vera loqui', ‚vera fateri' dicitur, sed hoc loco vox ‚vera' si adesset sensum valde mutaret (‚vere' enim est ‚recte').

## 2. De adverbiis in ô exeuntibus.

His absolutis accedamus ad adverbiorum littera ô terminatorum usum. Exempla mihi praesto sunt haec:

aeterno: Ov. Am. III, 3, 11.

alio: Verg. Ecl. 8, 99; Prop. II, 12, 18; 15, 35; Ov. Met. XII, 57; Trist. IV, 4, 49.

cito: Tib. I, 4, 28; 29; 30; Prop. I, 5, 26; II, 9, 35; 20, 36; 24, 22; Ov. Am. I, 8, 92; II, 18, 16; 27; Met. IX, 588; Trist. III, 3, 30; V, 6, 4.

composito: Verg. A II, 129.

consulto: Prop. II, 34, 54.

continuo: Verg. G 1, 60; 169; 356; 3, 75; 158; 271; 386; 468; 4, 53; 69; 254; 548; A III, 196; 548; IV, 265; V, 368; VI, 426; 570; VII, 68; 120; IX, 118; 684; 731; 757; XI, 612; 810; 912; XII, 560; Ov. Am. I, 11, 16; Met. XIV, 362.

crebro: Tib. I, 5, 72; IV, 14, 1; Prop. III, 8, 15.

falso: Pseudotib. Lygd. 3, 30; Ov. Am. III, 12, 43; Met. XI, 662; Trist. V, 13, 18.

improviso: Verg. A VIII, 524; XII, 576; Ov. Met. XIV, 161 *(i. que repertum).*

inmerito: Tib. I, 6, 72; Prop. II, 6, 35; III, 19, 27; Ov. Trist. II, 327; Pont. IV, 9, 134.

liquido: Ov. Pont. III, 3, 49; IV, 6, 21.

merito: Verg. G 2, 40; A XI, 392; 502; Tib. I, 6, 82; II, 3, 16; Lygd. 6, 55; Prop. I, 9, 7; 17, 1; 18, 15; II, 12, 9; 15, 47; 33, 29; Ov. Am. I, 10, 43; II, 2, 49; 14, 40; III, 12, 9; Met.



V, 271; VI, 687; VIII, 50; IX, 585; [X, 202]; Trist. IV, 2, 56; V, 6, 22; 12, 50; Pont. II, 2, 111; IV, 2, 49.

perpetuo: Tib. II, 5, 122; Prop. I, 9, 2; II, 20, 35; Ov. Am. I, 6, 26; Met. X, 97 *(p. virens)*; Trist. IV, 2, 10; Pont. IV, 14, 31.

primo: Verg. G 4, 310; A I, 613; IV, 176; V, 654; IX, 576; Tib. I, 4, 15; 55; 9, 3; Lygd. 5, 17; Prop. II, 3, 47; 49; Ov. Am. I, 6, 43; Met. I, 221; II, 336; 444; 860; III, 600; IV, 681; VII, 280; 536; 554; IX, 142; 457; X, 359; 528; XI, 678; 716; XIII, 607; XIV, 61; 518; Trist. V, 6, 15; 12, 43; Pont. III, 5, 12; 6, 45.

raro: Verg. Catal. V, 14; Prop. II, 34, 4; Ov. Met. XIII, 117 *(tam r. proelia passus)*; Trist. V, 13, 11.

secreto: Prop. IV, 11, 83.

sero: Tib. I, 8, 41 (bis); Prop. I, 1, 25; II, 5, 8; 14, 15; 25, 28; IV, 1, 51; Ov. Am. II, 11, 23; Met. II, 612; Trist. I, 3, 35; III, 1, 8; Pont. I, 4, 5.

subito: Verg. Catal. III b, 7; G 2, 268; 4, 281; 407; 499; A I, 88; 509; 535; II, 731; III, 137; 590; V, 170; 213; 723; 790; VI, 47; 548; VII, 144; 694; VIII, 554; 637; IX, 541; 735; X, 293; 407; XI, 551; XII, 249; 421; Tib. I, 3, 89; 6, 36; 8, 63; IV, 10, 2; Prop. II, 4, 23; 16, 28; 22, 46; 32, 16; IV, 8, 49; Ov. Am. II, 15, 9; Met. II, 535; III, 96; IV, 386; 391; 559; 600; 711; VI, 293; VII, 136; 281; 598; 639; 838; X, 192; XIII, 442; 893; 945; XIV, 390; XV, 561; Trist. I, 1, 121; III, 7, 1; 42; V, 6, 18; Pont. I, 9, 13; III, 3, 9.

tuto: Verg. G 2, 332; A XI, 381; Ov. Am. II, 2, 37; 65; 14, 43 Trist. II, 480; V, 10, 39; cf. Met. XI, 66.

ultro: Verg. Ecl. 3, 66; 8, 52; G 4, 204; 265; 530; A II 59; 145; 193; 279; 372; III 155; IV, 304; V, 55; 446; VI, 387; 499; VII, 236; VIII, 611; IX, 7; 127 bis; 675; 729; X [278;] 282. 312; 606; 830; XI, 286; 471; XII, 3; Tib. I, 3, 45; Prop; II, 25, 19; Ov. Am. II, 5, 49; III, 3, 32; Met. II, 566; III, 458; VII, 605; XIV, 30; 31; 799; XV, 480.

vero: Verg. Ecl. 6, 27; G 1, 227; 424; 2, 69; 109; 475; 3, 314; 322; 505; 4, 191; 251; 554; A I, 485; II, 105; 228; 309; 438; 624; 699; III, 47; IV, 93; 279; 397; 450; 571; V, 172; 227; 659; 720; VI, 392; 431; 801; VII, 78; 376; 519; VIII, 219; 532; IX, 73; 265; 275; 424; X, 647; 762; 821; XI, 36; 127; 213; 278; 633; 832; XII, 216; 257; 494; 704; 756; 776; Prop. I, 13, 33; II, 1, 14; 13, 27; III, 8, 5; Ov. Am. II, 5, 23;

Met. II, 178; 227; 518; 621; III, 72; 200; IV, 107; 346; 416; V, 41; VI, 313; VII, 89; 323; 685; VIII, 32; 828; IX, 635; 636; X, 290; XI, 121; 332; 736; XII, 128; XIV, 187; 485; XV, 579; 803; Trist. I, 3, 77; 79; IV, 3, 35.

Pauca addam. Vergilius solus devitat adverbia *cito*, *crebro*, *perpetuo*, *sero*. Loco adverbii ‚sero' formam adiectivi genere neutro adhibet G 4, 122; A XII, 864. Similiter Vergilius ‚crebra' G 3, 500 (cf. Lucr. 2, 359) usurpat vice adverbii ‚crebro' quod ne in Ovidii quidem carminibus mihi occurrit.

Tibullus non habet adverbium *vero*, cuius loco ponit ‚at', rarius ‚sed' ita ut e. c. pro locutione ‚tu vero', qua ceteri utuntur, inveniatur ‚at tu' (tredecim locis).

Adverbium ‚aeterno' ab Ovidio novatum apparet.

## 3. De usu adverbiorum syllabis —ter et —iter finitorum.

Iam venimus ad tertium adverbiorum genus et tractemus adverbia in —ter et —iter syllabas exeuntia. Inveni haec:

I. in ‚ter':

constanter: Ov. Trist. III, 2, 27; IV, 5, 23; V, 4, 49; Pont. I, 5, 41.

decenter: Tib. IV, 2, 14; Prop. IV, 2, 45; Ov. Am. II, 5, 44.

dementer: Ov. Met. IV, 259 *(d. usa)*.

frequenter: Ov. Am. II, 6, 2; 28; Trist. IV, 7, 25.

latenter: Ov. Pont. III, 6, 60.

libenter: Prop. I, 6, 27; II, 33, 41; Ov. Pont. IV, 9, 121.

patienter: Ov. Am. I, 14, 25; III, 11, 17; Trist. I, 7, 27; V, 2, 75; 4, 15.

pudenter: Verg. Catal. V, 14.

II. in ‚iter':

aequaliter: Ov. Am. III, 10, 33.

aliter: Verg. G 1, 201; 2, 286; 4, 176; A I, 399; II, 428; IV, 256; 669; VI, 147; IX, 65; 497; 554; 797; X, 360; 410; 714; XI,



757; XII, 723; Tib. IV, 11, 3; Ov. Met. II, 83; 623; III, 373; 483; 661; IV, 122; 348; VI, 516; VIII, 473; 763; IX, 46; 205; 643; X, 64; 595; XI, 330; XV, 331; 553; Trist. I, 3, 11; 73; IV, 10, 79; V, 2, 10; Pont. I, 9, 17.

audacter: Ov. Pont. I, 5, 63; addo Pseudoovid. heroid. 20, 195.

breviter: Verg. A I, 561; II, 11; IV, 632; VI, 321; 398; 538; IX, 353; X, 251; 621; Prop. IV, 8, 41; Ov. Met. II, 783.

civiliter: Ov. Met. XII, 583; Trist. III, 8, 41.

communiter: Ov. Met. VI, 262.

concorditer: Ov. Met. VII, 752.

crudeliter: Verg. A VI, 495 *(cr. lacerum)*; Ov. Trist. III, 11, 53 *(cr. ustus)*; Pont. III, 7, 17.

fallaciter: Ov. Met. XI, 643.

fataliter: Ov. Met. XII, 67.

feliciter: Ov. Am. III, 5, 15 *(f. maritus)*; Met. VII, 659; VIII, 4 *(f. acti)*; X, 247.

fideliter: Prop. III, 25, 3; Ov. Pont. II, 9, 47.

fortiter: Tib. II, 3, 5; 6, 2; Prop. I, 1, 27; Ov. Am. I, 1, 23; II, 5, 9; Met. IV, 27; IX, 28; XIII, 237; Trist. V, 11, 4; Pont. III, 7, 40.

genialiter: Ov. Met. XI, 95.

graviter: Verg. G 3, 88; 133; 374 *(g. que rudentes)*; 4, 31 *(g. spirantis . . .)*; 452 *(g. frendens)*; 456; A I, 126 *(g. commotus)*; II, 288 *(g. . . . ducens)*; V, 447 *(ipse gravis graviterque . . . concidit)*; VII, 753 *(g. spirantibus)*; X, 347 *(g. pressa)*; 789; 823; XII, 295; Tib. II, 1, 79; Ov. Pont. I, 7, 49.

hostiliter: Ov. Met. XI, 372; XIV, 68.

inaniter: Ov. Met. II, 618.

iuvenaliter: Ov. Met. VII, 805; X, 675; Trist. II, 117 *(i. usus)*.

leniter: Tib. I, 7, 13; II, 1, 80; Ov. Am. I, 6, 7.

leviter: Prop. I, 3, 15; 43; 19, 5; 20, 47; II, 32, 15; Ov. Am. I, 4, 30; 6, 12; Met. VIII, 667; XI, 622.

molliter: Verg. Ecl. X, 33; Pseudoverg. Catal. IX, 17; Prop. I, 3, 12; 5, 8; 11, 14; 14, 1; 17, 22; II, 12, 24; III, 10, 6; Ov. Am. I, 8, 108; II, 4, 23; III, 7, 74; Met. XI, 785; Trist. III, 1, 24; 3, 76; IV, 8, 8; Pont. IV, 14, 47.

pariter: Verg. G 1, 189; 455; IV, 37; A I, 572; 714; II, 205; 729; III, 560; IV, 190; 241; V, 142; 508; 553; 587; 830; VI, 633;

769; VII, 729; VIII, 444: 545 bis; IX, 182; 505; 559; 628; X, 222; 347; 756 bis; 865; XI, 592; 673; XII, 574; Prop. I, 5, 29; II, 21, 20; 22, 1; 26, 43; 32, 13; III, 1, 5; 5, 15; 9, 7; 12, 5; 23, 2; Ov. Am. I, 3, 25; II, 19, 5 bis; III, 7, 5; Met. I, 369; II. 312; 445; 505; 601; 610; 674; 698; 701, 754; III, 92; 99; 426; IV, 376; V, 267; VI, 272; 504; 717; 718; VII, 400; 414; 637; VIII, 208; 324; 441; 584; 759 bis; IX, 583; X, 294; 678; 722; XI, 305 bis; 369; 442; 443; 556; XII, 36; 238; 418 bis; 529; 597; XIII, 522; 539; 608; XIV, 498; 662; 850; XV, 25; 183 bis; Trist. I, 4, 23; IV, 1, 9; 13 bis; 2, 13; V, 6, 16; 14, 5; 20; Pont. I, 10, 37; II, 1, 7; 4, 19; 10, 7; 39; 11, 12; IV, 6, 25; 9, 107.

pueriliter: Prop. I, 20, 39 *(p. decerpens).*

qualiter: Ov. Am. I, 5, 11; 7, 58; Pseudotib. Paneg. 84.

regaliter: Ov. Met. II, 397.

sapienter: Ov. Met. XIII, 377.

suppliciter: Verg. A I, 481 *(s. tristis)*; XII, 220 *(s. venerans)*; Ov. Pont. I, 10, 44.

turpiter: Tib. IV, 2, 4; Prop. IV, 6, 22 *(s. apta)*; Ov. Am. I, 7, 47; II, 12, 20; 17, 20; III, 7, 45; 66; 8, 8; Met. IV, 187.

utiliter: Ov. Am. I, 7, 24; Met. X, 133; XIII, 206; XV, 452; 679; Pont. IV, 2, 48.

velociter: Ov. Met. IV, 509; XI, 586.

Videamus singula.

Primum notandum est adverba in —ter ne uno quidem loco in Vergilii carminibus dactylicis occurrere, sedecies autem apud Ovidium.

Porro Vergilius adverbia in —iter ea, quibus affectus describitur velut *audacter*, numquam admisit; addo vocem *suppliciter* positam esse a poeta ad augendam vim adiectivi *(tristis)* aut participii *(venerans)*, qua in iunctura adiectivum praedicative substitui non poterat; idem crebro hisce usus est adverbiis: *aliter* (non apud Propertium), *breviter, graviter, pariter*; semel legitur *molliter*. Quibus locis omnibus — de voce *graviter* separatim disputabo — adiectivi forma sensui apta non erat.



Non parvam seriem Ovidius adverbiorum praebet, et ita quidem, ut inter hos poetas solus iis utatur; sunt adverbia haec: acriter, audacter, civiliter, communiter, concorditer, fallaciter, fataliter, feliciter, genialiter, hostiliter, inaniter, iuvenaliter, qualiter, regaliter, sapienter, utiliter, velociter.

Primus ille in linguam Latinam induxit ‚genialiter, iuvenaliter, qualiter, velociter'; aliis ex carminibus eius Linse[1]) contulit praeterea haec: ‚furialiter' (fast. III, 637); ‚tenaciter' (her. III, 43),

Loco vocis ‚aequaliter' etiam formula ‚ex aequo' apud Ovidium legitur locis hisce: Am. I, 10, 33; Met. III, 145; IV, 62; V, 565 (cf. Bednara ALL XIV, 599); a. a. II, 682; III, 794; eiusmodi locutiones ex linguae Graecae imitatione conformatas in Ovidii libris invenies praeterea has: ‚ex facili' (Am. II, 2, 55; a. a. I, 356; III, 579; Pont. I, 5, 59; Rem. 522); ‚ex toto' (Pont. I, 6, 28; IV, 8, 72); ‚ex praecipiti' (Met. XIII, 378); ‚ex merito' (Am. I, 15, 40; Met. V, 200; Pont. IV, 7, 16).

Quarum dictionum nonnullae propterea novatae sunt, quia adverbium ipsum deerat; ‚ex facili' formatum est, ut vitetur elisio (‚facile' est tribrachys) quam Ovidius magis poetis aliis reformidasse bene notum est.

Adverbium ‚acriter' a sermone dactylico satis alienum esse ex eo apparet quod non nisi duobus locis invenitur his: Pseudoovid. heroid. 18, 15; Hor. epist. I, 18, 18.

Raro etiam occurrit vox ‚audacter' scilicet non nisi apud Ovidium (Pont.; Pseudoheroid.).

Adverbii ‚aliter' iuncturae creberrimae sunt hae: ‚non aliter quam', ‚haud aliter quam', quibus fere semper comparatio inducitur.

---

1) E. Linse, De Ovidio verborum novatore, Diss. Tremoniae 1891.

## 4. De accusativis adiectivorum adverbialiter usurpatis.

Longius progrediamur et agamus de adverbiis genere neutro institutis. Priusquam autem ad rem propius accedamus, de usu quodam horum poetarum proprio verba nonnulla facere mihi liceat.

Poetae enim accusativos adiectivorum in neutro genere utriusque numeri adverbialiter ponunt. Qui usus situs est sive in correpta figura etymologica ita, ut e. c. ‚dulce canit' factum sit ex ‚dulcem cantum canit' sive melius ita explicandus est, ut intellegamus ‚dulce quid canit'; cuiusmodi exemplum habemus in Ovidii arte amatoria III, 289: *illa sonat raucum quiddam atque inamabile,* quocum loco conferas Verg. A IX, 125 *(amnis)* rauca sonans. cf. Ov. a. a. III, 286 *sed leve nescio quid femineumque sonet;* addo Cic. Arch. 26 *ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum;* Sen. dial. III, 20, 2 *spirare altum quiddam et sublime.*

Quae ratio loquendi iam occurrit apud Plautum; tria exempla mihi nota sunt: Mil. 822 *magnum clamare;* Most. 488 *exclamare maxumum;* Rud. 69 *increpare hibernum.*

Cum autem apud poetas scriptoresque pedestres qui ante Augusti aetatem floruerunt, figura illa rarissime inveniatur, apud poetas classicos qui vocantur late patet imprimisque apud Vergilium.

Plurimis locis verbis sonandi et loquendi adiectiva illa vice adverbiorum adiunguntur. Enumerationis quam afferam ordinem secutus sum eum quo usus est C. F. W. Mueller [1]).

1) C. F. W. Mueller, Syntax des Nominativs und Accusativs im Lateinischen, Lips. 08, p. 77 ff.



blandiri: Ov. Met. IX, 569 *et pavidum blandita.*

canere: Verg. A IX, 621 *dira canentem;* sed cf. Ov. Met. X, 300 *dira canam,* i. e. *dira facta canam;* quo loco vox ‚dira' adverbialiter dicta non est. XII, 864 *serum canit;* (cf. G 1, 402: *seros exercet noctua cantus).* Ov. Am. II, 4, 25 *dulce canit.*

cantare: Ov. Am. I, 13, 8 *liquidum . . . cantat avis.* cf. Rem. 36 *flebile cantat amans.*

clamare: Verg. A VII, 399 *torvumque repente* | *clamat;* ubi adscripsit Servius: *torvum pro torve.*

comari: Verg. G 4, 122 *sera comantem;* cf. Sil. XVI, 690 *sera paventem;* neque vero huc referri potest locus Vergilianus hic (A X, 94), ut voluit C. F. W. Mueller: *nunc sera querellis* | *haut iustis adsurgis (Venus);* sera enim est feminini generis forma numeri singularis.

fremere: Verg. A. XII, 398 *acerba fremens* (Servius: *acerba pro acerbe, adverbium qualitatis in nomen derivatum);* X, 572 *dira frementem,* ubi ‚dira' pro adverbio esse positum comprobatur iunctura *longe gradientem (μακρὰ βιβάς),* quae praeit; XII, 535 *immane frementi;* V, 19 *transversa fremunt (venti).*

furere: Verg. A VIII, 489 *infanda furentem;* sed cf. Cic. Pis. 50 *acerrime fureret.*

ferire: Verg. G 3, 500 *pede terram crebra ferit.*

flere: Prop. I, 5, 30 *mutua flere.*

fluere: Verg. G 3, 28 *magnumque fluentem* | *Nilum;* ‚magnum' non esse masculini generis accusativum ex Claudiani cognoscimus loco (Paneg. Manl. Theod. 232): *lene fluit (Nilus).* Praeterea et alio loco (A IX, 705 *magnum stridens*) neutrius generis formam legimus. Conferas etiam Verg. G

2, 100: *cui non certaverit ulla (vitis) aut tantum fluere.* Servius G 3, 28 adnotat: *magnum pro magne.*

gemere: Verg. A XI, 865 *extrema gementem.* Addo G 3, 226; A I, 465; V, 869 *(multa gemens)*; XII, 886.

hiare: Verg. A X, 726 *hians immane (leo).*

insultare: Verg. A XII, 338 *miserabile caesis hostibus insultans* ..; quo loco coniungendum est: *miserabile insultans*; respondet enim huic comparationis membro antecedens illud *gemit . . . pulsu*, quod extat v. 334. Itaque iis adsentiri non possum qui iungant *miserabile caesis*, ut Heyne-Wagner alii.

intonare: Verg. A XII, 700 *horrendumque intonat armis* (cf. Iuv. 6, 485 *intonet horrendum*). A IX, 631 *intonuit laevum* (cf. Enn. ann. 527 Vahlen: *tum tonuit laevum*; sed. Stat. Theb. III, 493 *signa feras laevusque tones).*

iocari: Ov. Trist. II, 497 *obscena iocantes.*

loqui: Verg. Catal. 4, 10 *candida nunc loquitur.* Prop. I, 10, 22 *superba loqui.* Ov. Met. I, 751 *magna loquentem*; IX, 31; XIII, 222; Tib. II, 6, 11; XIII, 558 *truculenta loquentem falsaque iurantem* (cf. contra Met. III, 717 *iam verba minus violenta loquentem*); Trist. III, 3, 19 *aliena locutum*; cf. Met. IX, 559; VI, 702. Met. V, 296 *tam certa loquentes (linguae).*

maerere: Ov. Met. I, 664 *talia maerentes.*

murmurare: Ov. Met. XI, 52 *flebile lingua murmurat.*

olere: Verg. G 4, 270 *grave olentia*; A. VI, 201 *grave olentis.* Catal. 3, 13 *suave olentia*; *bene olens* saepius legitur.

quaerere: Verg. A II, 287 *vana quaerentem.*

queri: Ov. Met. XI, 52 *flebile . . . queritur lyra*; cf. Ov. Pont. IV, 7, 4 (cf. contra Cic. Tusc. II, 49 *flebiliter Ulixes lamentatur).*



respondere: Ov. Met. XI, 53 *respondent flebile ripae.* Prop. I, 5, 30 *mutua flere.* 16, 26 *respondes mutua* (cf. contra Cic. epist. 5, 2, 4 *mutue respondisse*; 5, 7, 2).

rubere: Verg. A. X, 273 *lugubre rubent* (Servius: *lugubre pro lugubriter).* Ecl. 3, 63 *suave rubens hyacinthus.* Addo Ecl. 4, 43; Ciris 96; Copa 19.

rudere: Verg. A VIII, 248 *insueta rudentem.*

sonare: Ov. Met. X, 146 *diversa sonarent.* Verg. A IX, 732 *horrendum sonuere.* G 3, 239 *immane sonat.* Ov. Am. III, 5, 6 *lene sonantis aquae.* Prop. IV, 7, 52 *molle sonet;* sed cf. I, 12, 6 *Cynthia nec nostra dulcis in aure sonat.* Verg. A VI, 50 *nec mortale sonans.* (I, 328 *nec vox hominem sonat*). A IX, 125 *(amnis) rauca sonans*, ubi Serv. ‚*rauca pro rauce*' (conferas A V, 866 *tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant* et Prop. IV, 8, 49 *cum subito rauci sonuerunt cardine postes*). cf. Ov. a. a. III, 289 *illa sonat raucum quiddam atque inamabile.* Ov. Met. XV, 606 *tale sonat populus.* Rem. 766 *carmina tale sonant.* sed cf. Cic. rep. VI, 18 *graviter ... acute sonent.*

spirare: Verg. A VII, 510 *spirans immane.* Ov. Met. IX, 661 *spirantis lene favoni.* Prop. II, 15, 53 *magnum spiramus amantes* (cf. Val. Fl. II, 184 *magnum aliquid sp.).* Ov. Pont. IV, 10, 43 *tepidum qui spirat (notus).*

stridere: Verg. A VI, 288 *horrendum stridens* (Serv. *h. str. pro horrende*). IX, 632 *horrendum stridens (sagitta).* cf. Ov. fast. VI, 140 *horrendum stridere nocte solent.* Verg. A IX, 705 *magnum stridens.*

tueri: Verg. A IX, 794 *acerba tuens* (cf. Lucr. V, 33 *acerba tuens*). VI, 467 *torva tuentem* (Serv. *t. t. pro torve i. e. terribiliter*); cf. Val. Fl. II, 555. Ecl. 3, 8 *transversa tuentibus hircis*.
tumere: Verg. A XI, 854 *vana tumentem*.

Quamquam saepissime neutra adiectivorum verbis sonandi et loquendi adiungere poetae — et imprimis Ver≠gilius — solent, nonnullis locis exceptio fit ita, ut adiectiva formae subiecti adaequata appareant, e. c. Verg. A III, 70 *lenis crepitans vocat auster in altum*; IV, 368 *saxosusque sonans Hypanis*; quibus locis adiectiva simul et epitheta sunt vocum *auster*, *Hypanis* et ad≠verbialiter adposita participiis.

Addo eiusmodi exempla haec: Verg. A II, 53 *in≠sonuere cavae gemitumque dedere cavernae*. Recte Wagnerus ad hunc locum adscripsit: »*cavae cavernae non ferendum nisi iunxeris cavae insonuere i. e. cavum quid insonuere*«. Locum est imitatus Lucanus III, 418: *saepe cavas motu terrae mugire cavernas*. Accedunt: Verg. A V, 764 *creber et adspirans . . . auster*; VIII, 559 *haeret inexpletus lacrimans*, ubi codices inter se dissentiunt alii tradentes *inexpletum* (Palatinus, sed correxit *m* in *s*; Bernensis 184 *inexpletū*, *pletū* in ras.), alii *inexpletus*; omitto errorem librarii ‚*inpletus*' (ita legunt Romanus, Gudiani manus prima). Lectio *inex=pletus* quam recte edidit Ribbeckius, codicibus plurimis optimis confirmata est.

Restat A V, 866 *tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant*. Prop. IV, 8, 49; I, 12, 6.

Sed alia quaedam inveniuntur exempla, quae formam adverbialem praebent. Enumero:

Verg. A VII, 753 *graviter spirantibus hydris*; XII, 295 *graviter ferit*; G 3, 88 *et solido graviter sonat ungula cornu*; 374 *graviterque ruden≠tes*; G 4, 31 *graviter spirantis . . . thymbrae*; 452 *graviter frendens*; cf. 456. A X, 789 *ingemuit cari graviter genitoris amore*; 823 *ingemuit miserans graviter*.



Praemittendum est adiectivorum illorum neutrius generis formas velut *rauca* semper artissime nullo intermisso nomine cum verbis suis coniuncta esse apud Vergilium et ita, ut adiectiva antecedant verbi formis ut *rauca sonans*; ex≠cipio autem locos hos: A VII, 510 *spirans immane*; X, 726 *hians immane*, ubi metri causa vox immane postposita invenitur; nihilominus G 3, 239 *immane sonat*, quo loco metrum permisit ut verbo antecedat *immane*. Iam vero quod solum et unum adverbiorum ‚graviter' tam multis locis occurrit verbis sonandi adpositum facilem explicatum habet; neque enim iuncturae ut ‚grave sonat', ‚grave spirantibus' aut ‚spirantibus grave', ‚grave ferit' sim. versui dactylico inseri poterant. Porro vice versa adverbium poni nequibat in hac formula ‚grave olen≠tis'; neque enim *graviter olentis* aut *olentis graviter* versui accommodari potest.

Quae respicienda esse in hac re iudicanda perlucidum est. Addo locum Propertianum II, 32, 15 *tot leviter lymphis tota crepitantibus urbe*, ubi iisdem de causis adverbium ponitur.

Figuram hanc libenter imitati sunt Silius Italicus, Valerius Flaccus, Statius, imprimis autem Claudianus qui ut ex indice utilissimo Birtiano cognosces, usui illi valde inserviebat.

## 5. De adverbiis genere neutro institutis.

His absolutis agamus de neutrius generis adiectivis ceteris quae facta esse vere adverbia constat. Enumero **exempla haec:**

**aeternum**: Verg. G 2, 400; A VI, 401; 617; XI, 97; 98; Tib. II, 5, 64; Prop. II, 28, 57; III, 8, 38; Ov. Met. VI, 639; Trist. V, 3, 41.

**cetera**: Verg. G 3, 62; A II, 438; III, 594; IX, 656; Ov. Pont. III, 2, 88.

**extremum**: Verg. A IX, 484; Ov. Met. XIV, 431; Trist. I, 3, 15.

**facile**: Verg. G 4, 404; A XI, 721; Prop. II, 5, 13; Ov. Met. XIV, 697; Pont. II, 3, 11.

**impune**: Verg. G 2, 32; A III, 628; VI, 239; 879; IX, 653; 784; XI, 134; XII, 559; 728; Tib. I, 4, 25; 9, 5; II, 3, 65; Prop. I, 4, 17; 5, 32; 18, 3; II, 6, 21; 32, 45; IV, 4, 57; 9, 26; Ov. Am. II, 14, 37; III, 3, 15; Met. II, 474; V, 119; VI, 318; VIII, 279; 494; IX, 71; XI, 67; 207; XII, 265; XIII, 233; 741; 761; XIV, 383; XV, 538.

**longum**: Verg. Ecl. 3, 79; A X, 740; Ov. Met. V, 65.

**multum**: Verg. Catal. XI, 5; Ecl. 3, 18; G 1, 94; A I, 3; VI, 481; IX, 501; X, 434; 839; XI, 49; Prop. II, 26, 27 bis; Ov. Am. I, 5, 13; Met. IV, 155; XI, 697.

**multa**: Verg. G 4, 301; 320; A III, 610; IV, 205; 390; VII, 358; 593; IX, 24; X, 839; XI, 471; 697; XII, 294; 496; 506.

**nimium**: Verg. Ecl. 2, 17; 3, 94; 9, 28; G 2, 252; 458; A IV, 657, V, 870; VI, 189; 514; 816; 870; IX, 430; XI, 841; Tib. IV, 8, 5; Lygd. 6, 21 bis; P. 187; Prop. I, 15, 27; II, 8, 13; 21, 6; 15; 32, 43; 33, 21; III, 13, 4; 24, 2; IV, 6, 45; Ov. Am. I, 1, 13; 6, 15; 7, 46; II, 2, 8; 45; 5, 11; 57; 9, 53; 19; 25; 37; III, 2, 25; 47; 3, 26; 4, 37; 8, 46; Met. III, 292; IV, 49; 547; V, 582; VI, 38; 686; VII, 14; VIII, 614; IX, 462; X, 363; XII, 564; XIII, 58; XIV, 68; Trist. I, 1, 89; 5, 37; II, 117; 180; 457; III, 1, 8; 2, 27; 4, 31; IV, 1, 86; 10, 99; V, 8, 33; 13, 31.

**omnia**: Verg. A IV, 558; IX, 650.

**paulum**: Verg. A III, 597; IV, 649; Ov. Met. II, 277; III, 81; 440; VIII, 673; 810; X, 32; XIII, 125.

**primum**: creberrime apud poetas invenitur. Idem dici potest de vocibus ‚quantum' et ‚tantum'.

**recens**: Verg. G 3, 156; Ov. Am. III, 8, 9.

**solum**: Verg. Ecl. 5, 48; A IV, 324; Tib. IV, 4, 17; Prop. I, 7, 11; 10, 13; 18, 24; II, 5, 19; 34, 17; 26; Ov. Met. II, 52; VI, 17; VIII, 755; XIII, 817; 885; XV, 456.



**sublime**: Verg. G 3, 108; A X, 664.

**supremum**: Verg. A II, 630; III, 68; Ov. Met. VI, 246; 509; X, 62; XII, 526.

**temere**: Verg. A IX, 329; 375; Prop. II, 20, 36; 21, 16; IV, 8, 10; Ov. Am. I, 14, 22; II, 7, 13; Trist. III, 5, 27; IV, 8, 18.

**verum**: Verg. Catal. VIII, 2; Ecl. 1, 24; 3, 2; 35; G 1, 417; 3, 563; 4, 88; 147; 200; 405; 443; A III, 448; 670; IV, 603; VII, 591; XI, 587; XII, 832; Prop. II, 5, 20; Ov. Am. I, 4, 65; 11, 16; Met. V, 177; 526; VIII, 69; IX, 465; 478; XI, 548; XIII, 344; 464; 807; 818; XV, 318; 457; 477.

Pauca addenda sunt.

Vox ‚aeternum' locis nonnullis posita est pro ‚in aeternum' e. c. Verg. A XI, 97 et 98 *salve aeternum mihi, maxime Palla | aeternumque vale.* Similis usus invenitur vocabuli ‚longum' Verg. Ecl. 3, 79 *et longum formose vale vale, inquit, Iolla;* ubi non iungendum esse puto *longum* cum verbo *inquit*, ut Jahn, Wagner alii postulant, sed *longum vale* significat: auf lange Zeit lebe wohl; quae iunctura etiam loco Claudiani confirmatur, qui est in Raptu Proserpinae II, 234 *longum vale.*

Addo formulam ‚in aeternum' occurrere Ov. Trist. I, 3, 63 *uxor in aeternum vivo mihi viva negatur* (cf. Lucr. 2, 570).

Quantum differat inter ‚multum' et ‚multa' adverbia Kritz adnotans ad Sall. Cat. 27, 4 hoc modo explicat (cf. C. F. W. Mueller p. 56 f.): *multa singulas querelae partes vanasque querendi causas continet, multum vero quo non nisi modus indicatur, sensu non differt a vehementer et valde.*

Quam legem etiam valere in poetis cognosces ex his exemplis: Verg. A VII, 358 *multa super natae lacrimans*; at IX, 501 *multum lacrimantis Iuli.*

Vox *multum* etiam coniuncta cum adiectivis invenitur Ov. Met. IV, 155 *o multum miseri*; XI, 697 *multum fuit utile ...*; ubi *multum* significare *valde,*

*vehementer* exemplis comprobatur Ciceronianis his: Balb. 60 *vehementer utilis*; off. III, 103 *valde utile*.

Iuncturam hanc sermonis cottidiani colorem ducere ex eo intellegitur, quod saepius apud Plautum, nullo loco apud Terentium, semel in Ciceronis epistulis VI, 6, 9 *postremo homo valde est acutus et multum providens* (sed vox *providens* participii naturam servasse videtur), semel in leg. agr. III, 3, 13 *vir multum bonus* occurrit.

Adverbium ‚nimium' locis plurimis adpositum apparet adiectivis, nonnumquam adverbiis e. c. Ov. Met. VI, 638; XIV, 68; Trist. III, 2, 27.

Accusativum Graecum habemus in vocibus ‚omnia', ‚cetera' coniunctis cum adiectivis et verbis; cf. Servium, qui adnotat ad A III, 594: *sane cetera Graius Graeca locutio est* (*τὰ λοιπά*). Wöllflin[1]) *omnia* primum sic a Vergilio usurpatum esse statuit: A IV, 558 *omnia Mercurio similis*; IX, 650 *omnia longaevo similis*; scriptorum qui postea vixerunt, solus Statius hac voce usus est.

De voce ‚sublimen' a Ribbeckio in Vergilii carmina recepta in opusculi parte altera disputabo.

‚Temere' adiectivi antiqui ‚temeris' esse neutrum ostendit Wöllflin[2]); comparari potest ‚facile' ductum a ‚facilis'.

## 6. De adverbiis quibusdam tritissimis, quae non admiserunt poetae nostri.

Haec hactenus. Sed nondum ad finem huius partis sumus progressi; restat enim, ut de adverbiis quibusdam a sermone poetico omnino abalienatis verba nonnulla faciamus.

---

1) E. Wöllflin, Archiv für lat. Lexikographie II, p. 90.
2) ibid. IV, p. 51.



Sunt imprimis voces ‚valde', ‚vehementer' quae orationi Ciceronianae tam tritae apud poetas nostros ne uno quidem loco inveniuntur.

Id quod ‚valde' continet, poetarum in libris expressum esse verbis ‚bene, multum, longe, graviter, nimium, adeo, penitus' exempla docent:

Ov. Am. III, 8, 7 *bene laudavit*. Verg. A XI, 49 *spe multum captus inani*; Ov. Met. IV, 155 *o multum miseri*; XI, 697. Verg. A V, 406 *longeque recusat*. G 4, 31 *graviter spirantis*; Verg. A I, 126 *graviter commotus* (cf. Cic. epist. VII, 17, 1 *vehementer commovebar*; 17, 2 *valde esse commotum*; Planc. 21 *vehementer moventur*). Verg. A VII, 427 *haec adeo ... fari iussit* (Servius: *adeo pro valde*); Ecl. 2, 25 *adeo informis* (cf. Ter. Eun. 204 *adulescentem adeo nobilem*). A I, 200 *penitusque sonantes* (Servius: *penitus pro valde*); VI, 679 *penitusque virenti*.

Pro ‚vehementer' adverbio, quod etiam a Tacito prorsus vitatur, ponuntur voces tales ut ‚graviter, immane, magnum':

Verg. A X, 789 *ingemuit graviter* (cf. Cic. rep. VI, 12 *cum ingemuissent vehementius ceteri*). Addo Verg. A VII, 510 *spirans immane*. XII, 535 *immane frementi*. IX, 705 *magnum stridens*. Ov. Met. XI, 697 *multum utilis* (cf. Cic. Balb. 60 *vehementer utilis*).

Adverbium ‚recte' reformidant poetae quorum solus Ovidius semel scripsit Pont. II, 3, 13 *recte facti si praemia desint* (cf. Tac. Hist. 3, 53, 14 *recte factorum*). Quo loco excepto etiam Tacitus adverbium reiecit neque nisi comparativo usus est; idem adverbio ‚valde' caret.

Loco vocis *recte* invenimus alias ut ‚rite' (e. c. Verg. A III, 107 *si rite audita recordor*; IV, 555), ‚ordine'

(Verg. A I, 703 *quibus — famulis* scilicet — *ordine longam | cura penum struere*; III, 548).

Vocis ‚statim', quae metro dactylico inseri non potest, locum tenent adverbia ‚continuo' (imprimis apud Vergilium), ‚protinus' (apud Vergilium saepeque apud Ovidium), ‚extemplo' (Verg., Ov.); denique adiectivi ‚primus' formae notionem ‚sofort' receperunt imprimisque in carminibus epicis, ut postea videbimus. Hoc loco exemplum unum sufficiat: Verg. A VIII, 59 *surge age . . . primisque cadentibus astris* (i. e. sofort, wenn . . .).

Haec habui quae dicerem de usu adverbiorum apud poetas hos dactylicos obviorum.

---

Pars II.

# De usu adiectivi vice adverbii fungentis.

---

Ex omnibus quae adhuc exposui a poetis, praecipue autem a Vergilio adverbia quam maxime vitari perlucide apparet; eorum loco adiectivorum formae occurrunt. Cuius usus praedicativi causas cum examinaveris, cognosces haec quae breviter afferam.

Primum statuendum est imprimis sermonis epici propriam esse cupiditatem epithetorum ornantium, quamobrem saepe adverbium mutetur in adiectivum.

Ne praetervideas praeterea magnam adverbiorum seriem versui dactylico inseri omnino non posse, cum alia creticum (e. c. *callide, impie*) alia quattuor syllabas breves contineant (e. g. *similiter, celeriter*).



Venio ad ultimam causam; adverbia enim multorum adiectivorum apud poetas obviorum non nisi posterioribus temporibus occurrunt et ignota fuisse poetis videntur; atque adeo nonnulla adiectiva semper adverbiis propriis caruisse constat.

## 1. De substantivorum ablativis vice adverbiorum fungentibus.

Sed priusquam causis ipsis propius accedamus, nonnulla praemonenda sunt; poetae enim, et praecipue Vergilius, saepenumero pro adverbio ponunt substantivi cuiusdam ablativum absolutum. Cuius rei haec offendi exempla:

Verg. A II, 386 . . . *animisque Coroebus . . . inquit*; sed cf. Ov. Met. IX, 215 *timide . . . dicit*. XI, 438 *ibo animis contra*; cf. A IX, 291 *sed contra audentior ibo*. Ablativus ‚animis' dicitur pro adverbio ‚animose' (cf. Cic. Phil. IV, 6 *animose et fortiter fecerunt*).

Verg. A X, 522 *illa astu subit* (pro ‚astute'); XI, 704 *et astu incipit haec*. Addo Prop. IV, 5, 15; Ov. Met. XIII, 193.

Locum adverbii ‚dolose' (Plaut. Men. 228) tenent ablativi ‚dolo' et ‚dolis': Verg. A I, 673 *capere ante dolis*; 684 *falle dolo faciem*. Accedunt II, 34; V, 342; XI, 712; Ov. Trist. V, 12, 65.

Verg. A IV, 675 *me fraude petebas* (pro ‚fraudulenter'). Prop. III, 19, 24 *tuas portas fraude reclusit amor*.

Verg. A IV, 337 *neque ego hanc abscondere furto* (pro ‚furtive'). cf. VI, 24.

‚Luxuriose' expectamus ubi occurrit vox ‚luxu': Verg. A IV, 193 *nunc hiemem inter se luxu quam longa fovere*. Prop. IV, 7, 36 *sensi ego cum insidiis pallida vina bibis* (pro ‚insidiose').

Adverbia timendi apud Vergilium non invenimus; loco eorum et formae adiectivorum occurrunt et ablativus modi ‚metu' e. g.:

A III, 213 *mensasque metu liquere priores*; IV, 164 *tecta metu petere.* cf. IV, 390; VIII, 556; II, 685; Ov. Met. VIII, 148; VII, 115; 133.

Ov. Met. X, 584 *invidiaque timet* (pro ‚invidiose'). Verg. A X, 14 *tum certare odiis* (pro ‚odiose').

Adverbio ‚studiose' carent poetae, cuius loco usurpant ablativos ‚studio', ‚studiis':

Verg. A V, 228 *cunctique sequentem | instigant studiis.* V, 450. VI, 681 *lustrabat studio recolens* (adnotat Servius »*circumibat studiose retractans*«); XII, 131. Ov. Met. I, 694 *Ortygiam studiis .. colebat | .. deam*; sed cf. Cic. Sext. Rosc. 50 *suos enim agros studiose colebant.*

Vergilius qui adverbiis modum procedendi indicantibus omnino non utitur, ablativos hosce adhibet:

Verg. A II, 399 *et litora cursu | fida petunt*; 736 *namque avia cursu | dum sequor*; IV, 72 *illa fuga silvas saltusque peragrat*; 281 *ardet abire fuga*; IX, 553 *saltu . . . fertur.*

Restat ut locos eos afferam quibus vice adverbii ponuntur voces ‚modis' ‚ratione' coniunctae cum adiectivis; sunt enim hi:

Verg. A I, 354 *ora modis attollens pallida miris;* VI, 738 *multa diu concreta modis inolescere miris.* Addo VII, 89; X, 822; G 1, 477 (cf. Lucr. I, 123); 4, 309.

Pro adverbio ‚nove' invenimus locutionem ‚nova ratione' Ov. Met. IV, 183; cf. Cic. Arat. 227 *simili ratione notari | non possunt;* Plaut. Mil. 624 *novo modo tu amas.* Addo Ov. Met. I, 181 et IV, 54 *talibus modis.*



Quae exempla a me allata alicuius momenti esse perspicuum est neque vero huc non spectant loci quibus adiectiva coniunguntur cum substantivis ut ‚mens, cor, via, passus, manus', al.; dico iuncturas fere has: *in caelum celeri pervenit illa via* (Ov. Trist. IV, 2, 60); *et iacit invita fulmina rara manu* (Ov. Pont. I, 2, 128); *timida circumspice mente* (Ov. Trist. I, 1, 87); *Latina voce loqui* (Ov. Trist. III, 12, 39; praeterea adverbium invenitur Trist. V, 7, 53; 12, 57: *Latine loqui*); *me memori pectore semper habe* (Pont. II, 10, 52).

Iam sufficiant exempla quae enumeravi; plura omittam, quia nihil nisi auxilium secundarium poeticum praebent omniaque conferre huius opusculi fines transgreditur.

## 2. De epithetorum ornantium cupiditate quae obtinuit poetas.

Quibus praemissis ingrediamur rem ipsam. Dixi causam primam consuetudinis illius dicendi qua ponatur adiectivum loco adverbii, esse referendam ad poetarum — et imprimis epicorum — cupiditatem epithetorum ornantium. Haec enim tam crebro occurrunt, ut multis locis primo obtutu diiudicari non possit, utrum adiectivum praedicative positum ob oculos habeamus an epitheton solummodo. Quod statim exemplis illustremus. Legimus Verg. A IX, 171 *instat Mnestheus acerque Serestus;* cum verbo *instare* poeta libenter adiectivum iungit vice adverbii, e. c. G 3, 154 *acrior instat;* cf. etiam A XII, 783. Tamen primo a me allato loco (IX, 171) vox *acer* nihil nisi epitheton est, quod comprobatur exemplo simillimo hoc (A IX, 779): *conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;* cf. etiam VII, 670 ff. Sine dubio autem adiectivum *acer* pro adverbio ponitur locis hisce: A X, 577 *strictum rotat acer Lycagus ensem;* V, 402 *(caestus)*

*quibus* acer Eryx *in proelia suetus* | *ferre manum;* ubi *acer* et epitheton ornans est et praedicative usurpatur.

Idem dici potest de exemplis, quae nunc afferam:

A I, 662 *urit atrox Iuno* (sed cf. Tib. IV, 13, 19 *nunc tu me audacius ures;* addo Tib. I, 8, 7). IX, 420 *saevit atrox Volscens.* X, 689 *At Iovis interea monitis Mezentius ardens* | *succedit pugnae.* 729 *sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.* 763 *Mezentius* ... | *turbidus ingreditur campo.* Ov. Met. VII, 647 *ecce venit Telamon properus.* XIII, 246 *edidici quid perfida Troia pararet* (cf. autem Pont. III, 4, 97 *perfida damnatas Germania proicit hastas*; ubi vox ‚perfida' non est dicta pro ‚perfide'; cf. II, 8, 39).

Cuiusmodi exemplorum seriem magnam conferre possum, enumerare autem longum est quia locos omnes, ubi adiectivum vim habet et epitheti et adverbii, in capitibus sequentibus commemorabo; ceterum addam adiectivorum illorum plurima affectum indicare, ut puta *acer, atrox, avidus, ferox* al.

Haec hactenus; cognosces epithetorum ornantium cupiditatem poeticam de qua disputavi valde respiciendam esse in consuetudine dicendi illa iudicanda.

## 3. De usu praedicativo adiectivorum quibus desunt eiusdem stirpis adverbia.

Iam vero ad causam alteram nos convertamus, quae sita est in eo, quod adiectivis praedicative usurpatis aut omnino desunt adverbia eiusdem stirpis aut a scriptoribus posterioris demum aetatis in linguam Latinam inducta occurrunt. Ceterum novavit etiam Ovidius adverbia nonnulla, e. c. *qualiter, velociter, tenaciter;* apud ceteros nullum deprehendi adverbium novum.



Exemplorum, quae nunc afferam, ea anteponam quibus participialis natura inest; adverbialibus enim formis ea minime favere nemo negabit. Sunt haec:

adflictus: Verg. A II, 92 *adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam.*

agitatus: G 1, 357 *incipiunt agitata tumescere (freta ponti).*

aequatus: A V, 844 *aequatae spirant aurae*; Ov. Met. XIV, 805 *populis aequata duobus* | ... *iura dabas.*

assuetus: Ov. Met. XV, 687 *assuetasque domos* ... *salutat* (i e. de more, rite).

consuetus: Ov. Met. XIII, 491 *consuetaque pectora plangit* (i. e. de more, rite).

accensus: Verg. A IV, 364 *et sic accensa profatur* (i. e. furiose).

incensus: Verg. A IV, 300 *totamque incensa per urbem* | *bacchatur (Dido).*

aversus: Verg. A I, 482 *diva solo fixos oculos aversa tenebat*; IV, 362 *aversa tuetur*; VI, 224 *aversi tenuere facem*; al.

defixus: Verg. A VII, 250 *defixa Latinus* | *obtutu tenet ora.*

conversus (i. e. adversus): Verg. A XI, 121 *conversique oculos* ... *et ora tenebant* (cf. I, 482); XII, 377 *ille* ... *conversus in hostem ibat*; al. (quocum loco conferas XI, 389 *imus in adversos sc. hostes*; Ov. Am. I, 9, 11).

celebratus: Ov. Met. VII, 430 *nullus Erechthidis fertur celebratior illo* | *inluxisse dies.*

concitus: Verg. A XI, 744 *(Venulum) concitus aufert* ... *Tarcho*; 889 *pars* ... *concita* .. | *arietat in portas*; Met. IV, 706.

incitus: Verg. A XII, 492 *apicem tamen incita summum* | *hasta tulit*; XII, 534.

erectus (i. e. altus): Ov. Met. I, 86 *et erectos ad sidera tollere voltus*; cf. Verg. A V, 375 *Dares caput altum in proelia tollit.*

expertus: Verg. A II, 676 *sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis.*

exsternatus: Ov. Met. I, 641 *pertimuit seque exster= nata refugit*; XI, 77.

exterritus: Verg. A XI, 559 *constitit Aeneas strepitum= que exterritus hausit*; VIII, 240 *refluitque ex= territus amnis.* Addo XII, 660; G 3, 417.

perterritus: Ov. Met. II, 254 *fugit perterritus orbem (Nilus)*; cf. XI, 771.

territus: Ov. Met. I, 232 *territus ipse fugit*; II, 492 *territa fugit.* V, 598; XV, 675; Pont. III, 3, 11.

favens: Verg. A I, 735 *vos o coetum, Tyrii, celebrate faventes.* VIII, 173; G 1, 18; Ov. Pont. II, 2, 43 (39).

festinatus: Ov. Pont. IV, 5, 8 *ut festinatum non faciatis iter.*

immotus: Verg. A I, 331 *immota tenebat | lumina*; Ov. Met. II, 502 *immotosque oculos in se sine fine tenentem.*

improperatus (i. e. tardus): Verg. A IX, 798 *impro= perata refert (vestigia).*

indeclinatus (i. e. tenax): Ov. Pont. IV, 10, 83 *qui perstas indeclinatus amico.* cf. IV, 6, 7 *perstat enim fortuna tenax.*

indignatus (i. e. iratus): Verg. A XI, 831 *vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras*; XII, 952; Ov. Met. VII, 377 *ille indignatus ... dixit.*

inexpletus: Verg. A VIII, 559 *haeret inexpletus lacrimans.* De codicum discrepantia (traditur *inexpletus* et *inexpletum*) iam antea egi p. 32.

niussus: Verg. G 1, 55 *iniussa virescunt | gramina*; A VI, 375 *ripamve iniussus adibis* (i. e. ultro).



inultus: Tib. I, 6, 48 *sanguine et effuso spargit inulta deam* (i. e. impune); Ov. Am. III, 3, 20 *et mecum lusos ridet inulta deos.*

irrequietus: Ov. Trist. II, 236 *bellaque cum multis irrequieta geris* (i. e. adsidue); Ov. Met. V, 443; cf. Verg. A VIII, 55 *hi bellum adsidue ducunt.*

laetatus: Verg. A XII, 841 *adnuit his Iuno et mentem laetata retorsit.*

maerens: Verg. A IV, 32 *solane perpetua maerens carpere iuventa*; XI, 211 *maerentes altum cinerem et confusa ruebant | ossa focis.* Ov. Met. VIII, 779; XIV, 429; Trist. V, 4, 31; Pont. I, 9, 53.

metuens: Verg. A IX, 346 *sed magnum metuens se post cratera tegebat.* XI, 47; XII, 21.

pacatus: Ov. Met. IV, 31 *pacatusque mitis ... | adsis.*

pavefactus: Ov. Met. IX, 315 *iunctasque manus pave= facta remisit.* XIII, 878; XV, 636.

pavitans: Verg. A II, 107 *prosequitur pavitans.*

Restat, ut vera adiectiva adverbiis carentia enumerem. Haec mihi praesto sunt:

aemulus: Ov. Met XIII, 17 *sed demit honorem | aemu= lus*; Verg. A V, 187.

alternus: Verg. A XII, 233 *alterni si congrediamur.* A III, 423; V, 376; 584; VIII, 634; al.

amens: Verg. A II, 314 *arma amens capio*; 321 *cursu= que amens ad limina tendit.* II, 745; VII, 460; saepius.

anceps: Verg. A X, 304 *anceps sustentata diu (puppis).*

annuus: Verg. G 1, 338 *atque annua magnae | sacra refer Cereri.* Tib. II, 1, 48; Panegyr. 172; Ov. Met. X, 219; saepius.

avius: Verg. A XI, 810 *in montes sese avius abdidit altos*; XII, 480 *volat avia longe (Iuturna).*

praevius: Ov. Met. XI, 65 *praevius anteit.*

caecus: Verg. XI, 781 *caeca sequebatur (Camilla)*; i. e. *temere*. XI, 889; XII, 279; Ov. Am. II, 14, 4.

cernuus: Verg. A X, 894 *eiectoque incumbit cernuus armo (equus)*; cf. Sil. X, 256 *cernuus inflexo sonipes effuderat armo.*

Lectio *cernulus* codicum Romani, Palatini, Gudiani (pr. m.), reicienda est Silii imitationem cum respicis.

conscius: Verg. A II, 99 *et quaerere conscius arma*; Prop. III, 15, 5 *illa rudes animos per noctes conscia primas | imbuit.*

crudus: Ov. Met. IV, 240 *dicentem defodit alta | crudus humo.*

efferus: Verg. A VIII, 6 *saevitque iuventus | effera.*

exosus: Verg. A XII, 818 *pugnasque exosa relinquo.* XI, 436; Ov. Met. VII, 637.

ferreus: Ov. Am. I, 7, 50 *ferreus ingenuas ungue notare genas.*

ferus: Verg. A II, 326 *ferus omnia Iuppiter Argos | transtulit.* IV, 466; X, 12; al.

fervidus: Verg. A X, 788 *trepidanti fervidus instat.* IX, 72; XII, 293; 325; 748; saepius.

fluidus: Ov. Met. XV, 231 *(spectat) fluidos pendere lacertos.*

fremebundus: Ov. Met. XII, 128 *curru fremebundus ab alto | desilit.*

furibundus: Verg. A IV, 646 *(Dido) et altos | conscendit furibunda rogos*; Ov. Met. IV, 512 *furibundus in aula clamat*; VIII, 107 *furibunda . . . exclamat.* IX, 638; Prop. III, 8, 3.

gemebundus: Ov. Met. XIV, 188 *ille quidem totam gemebundus obambulat Aetnam.*

pudibundus: Ov. Met. IX, 569 *Deque suis unum famulis pudibunda vocavit*; X, 421 *pudibundaque vestibus ora | texit.* III, 393.



tremebundus: Verg. A X, 522 *ac tremebunda supervolat hasta*; Ov. Met. IV, 133. cf. supra p. 8 *noctuabundus* apud Ciceronem.

generosus: Ov. Met. VIII, 848 *dominum generosa recusat.*

hodiernus: Tib. I, 7, 53 *sic venias hodierne.*

ignarus: Verg. A VI, 361 *praedamque ignara putasset (gens).* IX, 766; Ov. Met. I, 658; 453; al.

ignotus: Verg. G 4, 242 *ignotus adedit | stelio* (i. e. furtim, tacite). Similiter poeta usus est adiectivo ,ignarus' A IX, 345 *subit Rhoetumque Abarimque | ignaros.* III, 338.

immansuetus: Ov. Met. IV, 237 *immansuetusque precantem | . . . defodit.*

immemor: Verg. A VI, 750 *immemores super ut convexa revisant.* G 4, 491; Ov. Met. X, 682.

immitis: Ov. Met. IV, 671 *immitis iusserat Ammon*; vox *immitis* etiam epitheton ornans est.

implacabilis: Verg. A XII, 3 *ultro implacabilis ardet.*

incolumis: Verg. A X, 47 *liceat dimittere ab armis | incolumem Ascanium*; saepius.

indecoris: Verg. A XI, 423 *cur indecores . . . | deficimus.*

ingens: Verg. A VI, 423 *totoque ingens extenditur antro (Cerberus).* XII, 666; al.

inglorius: Verg. A X, 52 *positis inglorius armis | exigat his aevom*; quocum loco cf. A VII, 776 *ignobilis aevom | exigeret.* A XI, 793; al.

innubus: Ov. Met. X, 567 *per opacas innuba silvas | vivit.*

insons: Verg. A VI, 435 *qui sibi letum | insontes peperere manu.*

invidus: Ov. Trist. II, 531 *invida me spatio natura coercuit arto.*

lassus: Ov. Am. II, 13, 2 *lassa iacet.*

lubricus: Verg. A XI, 716 *temptasti lubricus artes* (i. e. fallaciter). VII. 353.

magnus: Prop. II, 7, 16 *non mihi sat magnus Castoris iret equus.* Verg. A XI, 381.

menstruus: Prop. III, 5, 28 *in plenum menstrua luna redit.*

mitis: Ov. Pont. III, 9, 27 *atqui ita di mites minuant mihi Caesaris iram.* Met. IV, 31; Tib. II, 3, 71; al.

mutus: Ov. Met. X, 389 *muta silet virgo.*

necopinus: Ov. Met. XII, 591 *occulta necopinum perde sagitta.*

nescius: Prop. I, 20, 41 *et modo formosis incumbens nescius undis.* Verg. A IX, 552; al.

nocturnus: Verg. G 3, 538 *nocturnus obambulat;* sed cf. Cic. Tusc. IV, 44 *noctu ambulabat.* A IV, 303; 609; al.

nonus: Verg. A V, 64 *si nona diem mortalibus almum | Aurora extulerit.* G 4, 544; 552.

nullus (pro *non*): Prop. I, 5, 22 *Aut cur sim toto corpore nullus ego;* Ov. Met. XII, 447; saepissime.

pallidus: Ov. Met. IX, 216 *pavetque | pallidus.* XV, 627.

posterus: Verg. A IV, 6 *postera Phoebea lustrabat lampade terras | . . . Aurora.* Ov. Met. IV, 81; VII, 100.

praepes (pro cito): Verg. A V, 254 *quem praepes ab Ida | sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.* Ubi vocem *praepes* non esse substantivum (= Vogel) hic locus docet (IX, 564): *cygnum | sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis;* cf. etiam III, 361; VI, 15 *(praepetibus pinnis).*

praesens: Verg. A IX, 404 *praesens nostro succurre labori;* saepius.

praestantior: Ov. Met. II, 724 *Tanto virginibus praestantior omnibus Herse | ibat.*

resupinus: Ov. Met. V, 84 *resupinus humum pulsat.* Verg. A I, 476; al.



rudis: Prop. IV, 3, 12 *cum rudis urgenti bracchia victa dedi.*

sospes: Ov. Trist. I, 10, 41 *adveniat . . . sospes.* Pont. II, 8, 12.

taciturnus: Tib. I, 2, 32 *et vocet ad digiti me taciturna sonum.* I, 6, 60; Ov. Met. III, 18; VIII, 84.

tractabilis: Verg. A IV, 439 *haut voces ullas tractabilis audit* (i. e. nachgiebig).

tristis: Verg. Ecl. 10, 31 *tristis at ille . . . inquit;* saepius.

vesanus: Ov. Met. XIV, 422 *errat vesanus per agros.*

vigil: Ov. Met. XII, 148/9 *dumque vigil Phrygios servat custodia muros | et vigil Argolicas servat custodia fossas.*

violentus: Verg. G 2, 107 *violentior . . . incidit eurus.* 4, 373.

vivus: Ov. Met. XIII, 891 *vivaque per rimas proceraque surgit harundo;* al.

## 4. De usu praedicativo adiectivorum, quorum adverbia post Ovidii aetatem in linguam Latinam inducta sunt.

Ex adiectivis adhuc recensitis cum lingua Latina adverbia nulla derivaverit, ex adiectivis iis, quae nunc conferam, adverbia novata sunt a scriptoribus quorum plerique post poetas de quibus sermo est vixerunt. Uncis saepsi nomina eorum qui adverbiis sunt usi. Enumero:

alacris (adv. Frontin. strat.): Verg. A VI, 685 *alacris palmas utrasque tetendit* (*alacris* forma secundaria est adiectivi *alacer* ut V, 380); IX, 231 *alacres admittier orant.* Addo X, 729; XII, 337; V, 380.

arduus (*ardue* Greg. ep.): Verg. A V, 278 *et sibila colla | arduus attollens;* saepius.

audentior (comp. adv. Tac.): Verg. A VI, 95 *sed contra audentior ito;* IX, 291 *sed contra audentior ibo.*

celsior (adv. Col.): Ov. Met. VIII, 205 *si celsior* sc. *ibis.*

crastinus (adv. *crastino* Gell.): Verg. A IV, 118 *ubi primos crastinus ortus | extulerit Titan;* cf. Ov. Fast. III, 345 *protulerit cum totum crastinus orbem | Cynthius.* Addo Verg. A XII, 76.

credulus (adv. *credule* Chalcid. Tim.): Tib. I, 9, 38 *tergebam umentes credulus usque genas.*

cruentus (adv. *cruente* Sen.): Verg. A I, 471 *quae Tydides multa vastabat caede cruentus.* Ov. Trist. III, 11, 2.

damnosus (adv. *—ē* Hor.): Ov. Am. III, 6, 99 *damnosus pecori curris, damnosior agris.*

demissior (adv. Ov. Trist. III, 4, 23 *demissius ... ille volabat*): Ov. Met. VIII, 204 *si demissior ibis.*

densus (adv. *ē* Mela, Amm.): Verg. A XI, 834 *incurrunt densi simul.* X, 361; G 2, 275; al.

diuturnior (adv. Sidon.): Ov. Met. III, 472 *hic qui diligitur, vellem diuturnior esset* (i. e. *viveret*).

facilis (adv. Vitruv.): Verg. A VI, 146 *namque ipse volens facilisque sequetur;* Ov. Am. II, 4, 25 *flectitque facillima vocem.* Lygd. 5, 30; Prop. I, 9, 23; 11, 12; II, 1, 10; 21, 15; 24, 5; III, 9, 28; Ov. Pont. III, 3, 91.

festinus (adv. *festine* Cassiod. var.; *festino* Capit. Albin.): Verg. A IX, 488 *tibi quam noctes festina diesque | urgebam;* Ov. Met. XI, 347 *cursu festinus anhelo | advolat.*

garrulus (adv. *ē* Porphyrio Hor. Sat. I, 1, 120): Prop. II, 23, 17 *nec poscet garrula.* IV, 7, 42.

gaudens (adv. Eccl.): Verg. A IV, 190 *haec tum multiplici populos sermone replebat | gaudens.* I, 690; VIII, 702.



genialis (adv. Ov. Met. XI, 95 *festum genialiter egit*): Tib. IV, 9, 3 *omnibus ille dies genialis agatur;* male edidit Hiller pro *genialis* ‚natalis', quamquam codices omnes tradunt ‚genialis'; cf. etiam IV, 8, 2 *natalis, qui ... tristis agendus erit.*

habilis (adv. Mela): Verg. A IX, 305 *(ensem) atque habilem vagina aptarat eburna.* XI, 555.

horrendus (adv. *horrende* Vulgata; Prisc.): Verg. A VII, 323 *terras horrenda petivit (Iuno).*

ignobilis (adv. Solin.): Verg. A VII, 776 *ignobilis aevum | exigeret.*

immanis (adv. Gellius): Verg. A VI, 77 *immanis in antro | bacchatur vates.* 418.

immaturus (adv. Sen. rhet.): Prop. IV, 11, 17 *immatura licet, tamen huc non noxia veni.*

immodicus (adv. Liv.): Ov. Met. VI, 673 *prominet immodicum praelonga cuspide rostrum.*

impavidus (adv. Liv.): Verg. A X, 717 *ille autem impavidus partis cunctatur in omnis.* VIII, 633; XII, 8; Ov. Met. XV, 100.

indignans: (adv. Amm.): Verg. A I, 55 *illi (venti) indignantes magno cum murmure fremunt.*

iners (adv. Charisius): Prop. II, 32, 20: *tendis iners docto retia nota mihi* (= ungeschickt). Ov. Met. IV, 434; VII, 332; XII, 361.

infecundus (adv. Gell.): Verg. G 2, 48 *infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt.*

infensus (adv. Tac.): Verg. A XI, 859 *cornuque infensa tetendit.* II, 72; V, 587.

inoffensus (adv. Chalcid. Tim.): Tib. I, 7, 62 *inoffensum rettuleritque pedem.* Ov. Am. I, 6, 8; Trist. I, 9, 1.

inopinus (adv. *—ō* Marc. Emp.): Verg. A VI, 107 *nova mi facies inopinave surgit;* V, 857 *vix primos inopina quies laxaverat artus;* cf. Ov. Met. I, 224 *nec opina perdere morte | me parat.*

**innoxius** (adv. —*ē* Plin): Verg. A V, 92 *(serpens) rursusque innoxius imo | successit tumulo.*

**inscius** (adv. Apul. de deo Socr. 3): Ov. Trist. II, 105 *inscius Actaeon vidit sine veste Dianam;* Met. II, 148 *premis inscius axem.* Verg. A X 907.

**intemeratus** (adv. —*ē* Cod. Theod.): Verg. A XI, 584 *virginitatis amorem | intemerata colit.*

**intentus** (adv. —*ē* Liv.; *attente, contente* Cic.): Verg. A II, 1 *intentique ora tenebant;* V, 137 *intenti expectant signum.* VII, 380; 251.

**interritus** (adv. —*ē* Mart. Cap. 1, 16): Verg. A XI, 837 *(Opis) spectatque interrita pugnas.* V, 863; Ov. Met. XIII, 198.

**iratus** (adv. Phaedr. 4, 24): Prop. IV, 8, 57 *Phyllidos iratos in voltum conicit ungues (Cynthia).* Verg. G 2, 207; Lygd. 6, 21.

**irritus** (adv. *irrite* Augustin.; *irrito* Eumen. grat. act.): Verg. A II, 459 *tela manu miseri iactabant irrita Teucri.* V, 442; saepius.

**lugubris** (adv. Apul. Met. 3, 8): Ov. Met. II, 334 *lugubris et amens . . . totum percensuit orbem.*

**matutinus** (adv. —*ō* Vitr., Plin.; —*ē* Prisc.): Verg. A VIII, 465 *nec minus Aeneas se matutinus agebat;* cf. Cic. Att. XII, 53 *hodie tuas litteras expectabamus matutinas;* sed cf. XIII, 9, 1 *hodie mane Dolabella (venit).* Prop. II, 29, 31; Ov. Met. XI, 26.

**medius** (adv. *medie* Apul. = mittelmäßig): Verg. A VII, 384 *per medias urbes agitur;* saepissime.

**onerosus** (adv. Paul. Nol.): Ov. Met. IX, 54 *tergoque onerosus inhaeret.*

**ovans** (adv. Tertull.): Verg. A III, 189 *paremus ovantes* (Serv. *ovantes i. e. alacres, non utique gaudentes).* IV, 577.



**perennis** (adv. —*iter* Cod. Theod., Eccl.): Ov. Met. XV, 875 *super alta perennis | astra ferar;* Am. III, 6, 98 *perennis eas.*

**perfidus** (adv. Sen.): Verg. A VII, 362 *relinquet | perfidus alta petens (matrem).* Tib. I, 8, 63; Ov. Am. I, 14, 40; al.

**praeceps** (adv. Placid. gloss.): Verg. A II, 307 *praecipitesque trahit silvas;* saepissime. Cf. Ov. Met. XI, 556 *praecipitata cadit.*

**qualis** (adv. Ov. Am.): Verg. A I, 498 *qualis . . . | exercet Diana choros;* saepissime. A XII, 451 *qualis ubi ad terras . . . nimbus it* (cf. Ov. Am. I, 5, 11 *qualiter . . . isse | dicitur).*

**rapax** (adv. Schol. Bob. ad Cic. Vat.): Ov. Trist. IV, 1, 79 *utque rapax pecudem . . . fertque trahitque lupus.*

**recens** (adv. *recenter* Pall.; adv. *recens* Verg., Plaut.): Ov. Am. III, 5, 11 *candidior nivibus, tunc cum cecidere recentes.*

**saevus** (adv. Hor.; *saeviter* Plaut., Ennius): Verg. A II, 612 *Hic Iuno saevissima portas | prima tenet.* VII, 19; al.

**salvus** (adv. Apul. Met.): Prop. II, 9, 3 *poterat . . . salva . . vivere.*

**securus** (adv. *secure* Suet.): Verg. A I, 290 *hunc . . . tu accipies secura.* G 3, 376; Tib. I, 1, 48; Lygd. 4, 54 al.

**segnis** (adv. Liv., comp. Verg.): Verg. A III, 513 *haut segnis strato surgit Palinurus;* IV, 149 *haut illo segnior ibat;* saepius.

**supinus** (adv. —*ē* Sen. ben.): Prop. I, 20, 28 *oscula et alterna ferre supina fuga.* IV, 8, 44.

**sollicitus** (adv. Sen., Plin.): Lygd. 6, 61 *sollicitus repetam tota suspiria nocte.*

**suspensus** (adv. —*ē* Augustin.): Verg. A II, 114 *suspensi Eurypylum . . . mittimus.*

talis (adv. Mart.; Plin.): Verg. A XII, 456 *qualis ... talis in adversos . . hostis | agmen agit* (sed cf. Mart. 5, 7, 1—3 *qualiter ... taliter*). Servius adnotat: *talis i. e. taliter, simili modo.*

temerarius (adv. —ē Sen.): Ov. Am. II, 13, 1 *labefactat onus temeraria ventris.* Accedunt Lygd. 4, 7; Ov. Met. IV, 2; Trist. V, 14, 19; al.

terribilis (adv. Arnob.): Verg. A XII, 498 *terribilis saevam nullo discrimine caedem | suscitat.* Ov. Met. VI, 595.

totus (*tote* Itin. Alex. 52?): Verg. A VIII, 553 *quem fulva leonis | pellis obit totum;* saepissime; cf. Ov. Met. V, 427 *lacrimisque absumitur omnis.*

tremens (adv. Dracont. hexaëm.): Ov. Met. VIII, 660 *tremensque | ponit anus (mensam).*

tremulus (adv. —ē Apul. Met.): Ov. Met. II, 875 *tremulae sinuantur flamine vestes.*

trepidans (adv. Suet.): Ov. Met. XII, 338 *Dum fugit instantem trepidans Ixione natum (Dictys).*

trepidus (adv. Liv.): Verg. A II, 380 *trepidusque repente refugit;* III, 616 *dum trepidi crudelia limina linquunt* (Servius: *trepidi i. e. festini*); al.

tumidus (adv. —ē Sen.): Ov. Met. VIII, 396 *talia magniloquo tumidus memoraverat ore.*

unanimus (adv. —*iter* Eccl.): Verg. A XII, 264 *vos unanimi densete catervas.*

vagus (adv. —ē Liv.): Prop. IV, 7, 89 *nocte vagae ferimur;* II, 22, 9 *sive vagi crines ... errant;* Ov. Met. XIV, 680 *vagus errat in orbe;* Lygd. 1, 3; cf. Cic. Arat. 230 *errare vagae ... stellae.*

vanus (adv. —ē Eccl.): Verg. A I, 392 *ni frustra augurium vani docuere parentes;* al.

vacuus (adv. —ē Arnob.); Prop. I, 9, 27 *quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos.*



vecors (adv. Thomas Brabant.): Ov. Met. V, 291 *seque iacit vecors e summae culmine turris.*

velox (adv. Ov. a. a. I, 235; Met. XI, 586): Verg. A V, 444 *ille ictum venientem a vertice velox | praevidit.* Ov. Met. VI, 671; VII, 767; al.

Vocem ‚velociter' nemo ante Ovidium scripsit; qui poeta solus adverbia modum procedendi indicantia admisit (e. c. *lente, tarde*). Exemplum unum pertractem, dico Met. XI, 586: *Iri, meae, dixit, fidissima nuntia vocis | vise soporiferam Somni velociter aulam.* Neque enim dubium potest esse quin huic poetae bene notus fuerit locus Homericus Λ 186: *βάσκ' ἴθι Ἶρι ταχεῖα τὸν Ἕκτορι μῦθον ἐνίσπες,* ubi Homerus adiectivum praedicative posuit pro *ταχέως*. Ovidius autem neglegentius usus est adverbio.

volens (adv. Apul. Met.): Verg. A III, 457 *vocemque volens atque ora resolvat.* IV, 146; al.

volucris (adv. Amm.): Verg. A V, 503: *volucris diverberat auras* (i. e. *celeriter*); al. Cf. IV, 266 *et celeris defer mea dicta per auras.*

## 5. De usu praedicativo adiectivorum, quorum adverbiis metrum dactylicum non permisit ut uterentur poetae.

His absolutis venimus ad enumerationis alteram partem qua agatur de iis adiectivis quorum adverbia propter rei metricae rationes versui inseri non potuerunt aut creticum aut quattuor syllabas breves continentia. Ex partibus, quae praeierunt, huc referenda sunt adiectiva haec: aemulus, annuus, avius, cernuus, efferus, ferreus, fervidus, immemor, incolumis, indecoris, inglorius, innubus, lubricus, pallidus, posterus; praeterea: alacris, arduus, crastinus, credulus, gar-

rulus, innoxius, interritus, irritus, perfidus, temerarius, terribilis, volucris.

Restat nunc ut afferamus adiectiva quorum adverbia in versum dactylicum induci non potuerunt quamvis fuerint usitata apud scriptores pedestres atque poetas non dactylicos. Cuiusmodi exempla inveni haec:

anxius: Tib. I, 2, 24 *tota vagor anxius urbe.* Praeterea 3, 16; II, 6, 53; saepius.

callidus: Tib. I, 6, 6 *nescioquem tacita callida nocte fovet.* Addo Ov. Am. I, 2, 6; 10, 4; II, 19, 10; Met. IV, 93; VII, 300; XI, 73; XIII, 323.

candidus: Ov. Am. II, 18, 29 *candida* (i. e. *laeta*) *Penelope signum cognovit Ulixis.*

celer: Verg. A IV, 266: *et celeris defer mea dicta per auras.* IV, 270; 285; saepissime.

commodus: Ov. Am. II, 15, 6: *et digitum iusto commodus orbe teras (anulus).*

contrarius: Ov. Met. II, 73 *et rapido contrarius evehor orbi.*

horridus: Verg. A I, 296 *Furor ... fremet horridus ore cruento.* IX, 670; Ov. Am. II, 16, 19; Met. I, 514.

humilis: Verg. A IV, 255 *humilis volat (Cyllenius)*; sed cf. Ov. Trist. III, 4, 23 *alte ... volabat.* Addo XII, 930.

impiger: Verg. A I, 738 *ille impiger hausit | spumantem pateram;* Ov. Met. I, 467 *impiger ... constitit arce.* 779.

impius: Verg. A I, 349 *ille Sychaeum | impius ... superat.* Ecl. 1, 70; Lygd. 4, 16; 5, 14; Ov. Trist. III, 9, 9; Met. XIII, 435; XV, 464; al.

improbus: Verg. A XI, 512 *equitum levia improbus arma | praemisit; 767 et certam quatit improbus hastam;* saepius.

languidus: Tib. I, 9, 56 *tecum interposita languida veste cubet.* Prop. I, 3, 2; Ov. Pont. III, 3, 8.



liber: Ov. Trist. IV, 2, 59 *illa per immensas spatiatur libera terras.* Prop. II, 32, 62; Met. IV, 337.

maximus: Prop. II, 25, 31/2: *namque in amore suo semper sua maxima* (i. e. am meisten) *cuique | nescio quo pacto verba nocere solent.* Verg. G 1, 329.

memor: Verg. A VI, 377 *sed cape dicta memor;* X, 491 *memores mea dicta referte.* XI, 176; G 1, 167; 2, 347; Lygd. 5, 31; Panegyr. 189; Ov. Met. XIV, 535; XV, 451.

mutuus: Verg. G 1, 301 *mutuaque inter se laeti convivia curant*; Prop. I, 16, 26 *respondes tacitis mutua cardinibus (puella);* sed cf. Cic. epist. 5, 2, 4 *mutue respondisse;* 5, 7, 2. Ov. Met. I, 655; al.

obvius: Verg. A I, 314 *sese tulit obvia;* VIII, 111 *raptoque volat telo obvius ipse;* saepissime.

perditus: Verg. Ecl. 2, 59 *perditus et liquidis immisi fontibus apros*; Tib. II, 6, 51; Ov. Am. II, 6, 80.

plurimus: Ov. Met. IX, 625 *qui plurimus urguet et urit* (cf. Am. I, 2, 17 *acrius urguet amor*); Verg. A XII, 690 *ubi plurima fuso | sanguine terra madet*; saepius.

praepostera: Ov. Trist. I, 8, 5 *omnia naturae praepostera* (i. e. *contraria*) *legibus ibunt.*

proximus: A II, 311 *iam proximus ardet | Ucalegon;* III, 397 *oram | proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu;* Ov. Pont. IV, 9, 19 *.. cuperem tibi proximus esse;* 10, 39 *proxima sunt nobis .. sidera.* Sed cf. Cic. Att. III, 14, 2 *proxime Italiam esse;* a poetis superlativi *proximus* formae coniunguntur cum dativo, in prosa autem et a Plauto cum accusativo.

sedulus: Tib. I, 5, 33 *hunc sedula curet.* 72; II, 1, 50; al.

similis: Verg. A I, 628 *me quoque per multos similis fortuna ... volvit;* XII, 477 *similis medios Iu-*

*turna per hostis | fertur equis* (Servius adnotat: *similis pro similiter*). G 2, 213.

sobrius: Ov. Am. I, 12, 6 *atque alte sobria ferre pedem.*

strenuus: Ov. Am. I, 9, 10 *strenuus exempto fine sequetur amans;* Trist. I, 10, 34 *transeat (navis) instabilis strenua Cyaneas.*

tertius: Verg. A VI, 859 *tertiaque* (i. e. zum 3. Male) *arma patri suspendat capta Quirino.* Ov. Met. X, 78.

turbidus: Verg. A VI, 296 *turbidus hic caeno vasta-que voragine gurges | aestuat;* X, 673 *turbidus ingreditur campo;* saepius.

ultimus: Ov. Pont. II, 3, 83 *ultima me tecum vidit (Ilva),* i. e. z. letzt. Male; Met. XIV, 426 *ultimus* (i. e. zuletzt, endlich) *aspexit Thybris (eam).* Met. XIII, 422; al.

## 6. De usu praedicativo adiectivorum ceterorum.

Sed his ne immoremur statimque properemus ad usus praedicativi exempla quae restant. Magnum numerum eorum divisi in partes has sex:

a) adiectiva ordinem indicantia;
b) adiectiva temporalia;
c) adiectiva loci;
d) adiectiva modum procedendi indicantia;
e) adiectiva vim numeri, copiae, gradus continentia;
f) adiectiva modi.

Exemplis singulis ubi potui simillima a sermone pedestri deprompta adieci quo clarius tibi fiat quantum differat ab oratione soluta poetica. Praeterea locos poetarum ipsorum dignos qui comparentur, adscripsi.



### a) De usu praedicativo adiectivorum ordinem indicantium.

Accedamus nunc ad capitulum primum et pertractemus adiectiva ordinem indicantia.

extremus: Verg. A V, 196 *extremos pudeat rediisse* (i. e. zuletzt); G 2, 473 *extrema per illos | Iustitia excedens terris vestigia fecit.* A V, 498; 544; 570.

postremus: Verg. G 2, 410 *postremus metito* (i. e. zum Schluß, zuletzt); antecedit versu 408 *primus (rusticus) humum fodito, primus ...;* quam structuram vere poeticam esse apparet; voces *primus* et *postremus* ponuntur pro *primo* et *postremo,* qui usus rarissime occurrit: Ov. Met. III, 107 *primasque* (pro primo) ... *acies apparuit, mox.* Addo A XI, 664.

Localiter usurpavit Vergilius adiectivum *postremus:* A III, 426/7 *prima hominis facies et pulchro pectore virgo | pube tenus postrema immani corpore pistrix.* Qui locus monet de Homerico illo *Z* 181 *πρόςϑε λέων, ὄπιϑεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.*

primus. Poetae aeque ac scriptores pedestres promiscue ponunt adverbium et adiectivum; sed fortasse res metrica locis nonnullis postulabat adiectivum, ubi expectabas adverbium et vice versa. Legimus, ut exemplum afferam, Verg. Ecl. 2, 32: *Pan primum* (i. e. zum ersten Male) *calamos cera coniungere pluris | instituit;* sed contra G 1, 147 *prima Ceres ferro mortales vertere terram | instituit.*

Usum adverbii et adiectivi promiscuum perlucide cognosces e versibus qui sunt in Tibulli libro II (1, 39—69). Tamen statuendum est adiectivi formas adverbialiter positas multo crebrius adhiberi quam adverbium.

Aliquid novi nobis occurrit apud Vergilium, qui poeta coniunctionibus temporalibus ‚ubi, postquam, ut, cum, vix, iam' adiunxit adiectivi *primus* formas loco formularum adverbialium ‚ubi primum, ut primum' etc. Poetarum ceterorum carmina nullum eiusmodi exemplum praebent. Inveni autem haec: Verg. A III, 69 *inde ubi prima fides pelago*; IV, 118 *ubi primos crastinus ortus | extulerit Titan.* Vitiose tradunt *primus* codices Romanus et Mediceus (sed correxit in *primum*); neque enim poetae umquam substantivis adiectiva bina adiungere solent, cuius rei exemplum optimum dat locus hic Ovidianus Met. II, 618 *et medicas exercet inaniter* (pro *inanis*) *artes*; ubi poeta adverbio usus est.

Addenda sunt: G 1, 250; 3, 130; A VIII, 407.

Formula ‚ubi primum' apud Vergilium non extat, invenimus autem apud Ovidium Met. XIV, 335 *haec ubi nubilibus primum maturuit amnis.*

Verg. A VII, 61 *primas cum conderet arces*; 148 *postera cum prima lustrabat lampade terras | orta dies.* Vide etiam VII, 603; XII, 103; 735.

XII, 103 *cum prima in proelia taurus | terrificos ciet* (solus Romanus legit *primum*); 735 *cum prima in proelia iunctos | conscendebat equos*; cum Romano Palatinus et Gudianus tradunt adverbium *primum*. Sed difficultas tollitur loco hoc Vergiliano:

VII, 603 *cum prima movent in proelia Martem*, ubi codices consentiunt dantque adiectivum. Itaque et A XII, 103 et 735 Ribbeckium secutus adiectivum postulo. Accedunt: G 2, 340; 4, 31. Neque tamen raro scripsit poeta adverbium *cum primum:* Ecl. 6, 39; 7, 39; G 1, 427; A II, 117; VII, 39; VIII, 408; XII, 114.

Sed pergamus. Enumero:

A I, 723 *postquam prima quies epulis*; XI, 573 *utque pedum primis infans vestigia plantis | institerat*; IV, 586 *ut primam albescere lucem | vidit.* Hic Mediceus



et Bernenses duo scribunt *primum*; id quod defendi non potest collato A I, 306 *ut primum lux alma datast*, ubi adiectivum tolerari non potuit sequentis *alma* causa. Itaque auctoritatem ceterorum librorum secutus cum Ribbeckio velim legas *ut primam albescere lucem.*

Locutio *ut primum* saepius occurrit, e. g. A I, 306; IV, 259; VI, 102 al. Restant mihi exempla haec: A III, 8 *vix prima inceperat aestas*; V, 857 *vix primos inopina quies laxaverat artus*; Prop. II, 26, 11; (cf. usum Ovidianum iuncturae *vix bene* Met. II, 47; VII, 774 al. de qua egi p. 18). Addo G 3, 187 *atque haec iam primo depulsus ab ubere matris.* Hoc loco adnotatur a Philargyro: *iamprimo quasi unum lege(!)*; conferas autem A VIII, 190 *iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem.*

Haec hactenus. Venimus nunc ad locos eos, quibus adjectivo *primus* inest notio nostri »sofort«; dicitur autem et de loco et de tempore.

De loco usurpatur A I, 541 *primaque vetant consistere terra* (i. e. sofort am Lande, vorn am L.); II, 613 *Iuno saevissima portas | prima tenet* (i. e. gleich vorn); II, 469 *primoque in limine Pyrrhus | exultat;* III, 426 *prima hominis facies*; 527 *stans prima in puppi.* Accedunt G 3, 399; A II, 334; 485; V, 341; VI, 273; 427; VII, 531; 673; IX, 244; 595; XI, 267; Prop. IV, 8, 50; Ov. Am. III, 2, 64; 14, 32; Met. II, 63; 871; IV, 544; 733; V, 482; 284; VIII, 398; 501; IX, 320; XI, 375; 729.

Spectat huc usus vocis *postremus*, de quo vide quae antea dixi p. 59. Moneo etiam de exemplis Graecis ut Hom. Z 40: ἐν πρώτῳ ῥυμῷ (i. e. vorn an der Deichsel).

Deinde etiam temporaliter usi sunt poetae adiectivo *primus:* Verg. A III, 588 *postera iamque dies primo surgebat eoo* (cf. XI, 4), ubi supplendum est *surgente* i. e. sofort mit Erheben des Morgensterns; VII, 130 *primo*

*laeti cum lumine solis .. vestigemus*; 528 *fluctus uti primo coepit cum albescere vento.* Addo G 2, 321; 253; A VI, 453; VII, 118; 361; VIII, 59; X, 242; 427; Prop. II, 13, 43; Ov. Met. V, 482; IX, 94; XI, 759; XII, 242; Pont. III, 4, 61.

Quibus locis adiectivum *primus* vice adverbii *continuo* (i. e. sofort) usurpatum esse optime illustratur exemplo Vergiliano G 1, 356; legimus enim: *continuo ventis surgentibus aut freta ponti | incipiunt agitata tumescere*; in Aeneide autem invenimus eodem sensu adhibitum adiectivum *primus* VIII, 59 *primisque cadentibus astris* (i. e. *continuo*, wenn die Sterne fallen); cf. etiam VII, 528 *primo coepit cum albescere vento.*

Prioribus in carminibus Vergilianis occurrunt iuncturae ‚imprimis' (Ecl, 5, 69; G 1, 338; 2, 291), ‚cum primis' (G 1, 178), ‚ad prima' (G 2, 134), quae omnes notionem habent adverbii *praecipue*. Quarum locutionum tenet locum in Aeneide usus simplicis *primus* adiectivi, ut docent exempla haec:

XI, 786 *summe deum . . . Apollo quem primi colimus* (*primi* i. e. *primum, imprimis*); III, 437 *Iunoni magnae primum prece numen adora* (i. e. *imprimis, praecipue*); VII, 136 *primamque deorum . . . Tellurem . . . precatur.*

Sensus idem redditur saepius formulis ‚ante omnia' sim., e. g.:

Ecl. 2, 62 *nobis placent ante omnia silvae* (i. e. *imprimis*); 3, 78 *Phyllida amo ante alias*; A II, 40 *primus ibi ante omnes.* V, 540; al.

His absolutis verba nonnulla faciamus de usu comparativi ‚prior' adverbialiter positi. Vox *prior* — quae semper absolute neque umquam cum comparationis particula *quam* coniuncta usurpatur, quod non valet de adverbio ‚prius' — notionem habet »zuerst« neque ab usu adiectivi *primus* differt nisi eo quod comparativo *prior* si utuntur poetae plerumque sermo est de personis duabus, quarum una *prius* agit quam altera, cum in adhibenda voce *primus* is qui agat *prior omnibus* aut *primus multorum* id faciat. Legimus enim, ut exemplo rem illustremus, A I, 321 *ac prior . . . inquit (Venus)*; *prior* enim inquit *quam* Aeneas; contra XII, 258 *primusque* (*Rutulorum* scilicet) *Tolumnius augur | . . . inquit.* In lingua Graeca aliquid consimile habemus; cf. Hom. *E* 276 *τὸν πρότερος προςέειπε* . . ., sed *π* 469 *κῆρυξ, ὅς δὴ πρῶτος ἔπος σῇ μητρὶ ἔειπεν.* Addo locum alium VI, 834 *tuque prior tu parce genus qui ducis Olympo*, ubi *prior* locum tenere puto vocis *imprimis* vel *praecipue.*



Restat ut locos enumerem quibus *prior* adverbialiter positum legitur; sunt hi: Verg. Ecl. 5, 10; A I, 321; 548; 581; V, 326; VI, 341; 387; VII, 194; VIII, 469; IX, 319; X, 458; 533; XI, 760; XII, 195; Tib. I, 4, 32; Prop. IV, 5, 42; Ov. Am. I, 8, 79; III, 1, 15; Met. I, 385; III, 358; IV, 112; IX, 512; XIII, 34; XIV, 307; Trist. V, 5, 57.

Memorabilis codicum dissensus est in Metamorphoseon libro III v. 358, ubi codices meliores — dico librum S. Marci et fragm. Londinense — lectionem hanc praebent: *nec prius illa loqui didicit, resonabilis Echo*; tamen editores codices deteriores secuti legunt *prior*, nescio an recte; conferas enim Met. X 178 *quem prius aerias libratum Phoebus in auras | misit*, ubi formam *prior* (sc. *quam Hyacinthus*) expectamus, cum libri omnes legant *prius.*

Loco adiectivi *primus* nonnumquam praedicative ponitur a Vergilio vox ‚princeps' e. g. A V, 833; IX, 535; X, 166. Sed pergamus. Supersunt enim adiectiva haec:

quartus: Prop. IV, 4, 63 *sed iam quarta canit venturam bucina diem* (i. e. z. 4. Male).

nonus: Verg. A V, 64 *si nona diem mortalibus almum | Aurora extulerit.* cf. etiam G 4, 544; 552.

sextus: Ov. Met. VIII, 11 *sexta resurgebant orientis cornua lunae.*

b) De usu praedicativo adiectivorum temporalium.

Venimus nunc ad adiectiva quae temporalem continent vim. Exempla haec confero:

adsiduus: Verg. G 1, 155 *quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris*; Tib. I, 3, 76 *adsiduas atro viscere pascit aves (Tityos)*; *adsiduas .. pascit aves* audacter dictum est a poeta qui quominus adverbium aut nominativum *adsiduus* poneret metri vi impeditus est. Prop. II, 12, 16 *adsiduusque meo sanguine bella gerit.* Addo Prop. II, 1, 68; 19, 31; III, 16, 26; Ov. Met. I, 66; IV, 463; VI, 219; Trist. V, 12, 23; Pont. I, 8, 5; II, 1, 26.

Tib. II, 1, 65 legitur: *atque aliqua adsiduae textrix operata Minervae | cantat.* Quam lectionem non nisi Itali codices offerunt, ceteri *Minervam.* Tamen servandam esse scripturam illam fusius iam ostendit Dissen[1]); frustra igitur viri docti quidam, e. c. Drenkhahn[2]) lectio *adsidue ... Minervam* in textum ut recipiatur postulant.

aeternus: Prop. IV, 3, 22 *aeternusque tuam pascat, aselle, famem*; Ov. Am. III, 6, 20 *sic aeternus eas*; (cf. III, 6, 98 *perennis eas*). Met. IV, 18; Pont. I, 2, 126.

improvisus: Verg. A I, 595 *repente | improvisus ait*; II, 182 *improvisi aderunt.* VII, 506; IX, 49.

intempestivus: Ov. Am. III, 7, 67 *vigent intempestiva valentque.* Met. X, 689; (Fast. I, 433).

longus (pro *diu* adverbio): Verg. A I, 749 *longumque bibebat amorem (Dido)*; in comparationem voco Ov. a. a. III, 579 *quod datur ex facili, longum male nutrit amorem*; cf. etiam Rem. 268 *longus et invito pectore sedit Amor.* Addo A III, 344, Prop. IV, 7, 50; Ov. Trist. III, 12, 2.

1) Commentarius in Tibullum a. 1835, p. 222.
2) Zur Kritik des Tibull, Progr. Putbus a. 1862, p. 9.



maturus: Prop. II, 18, 12 *maturos iterumst questa redire dies.* Panegyr. 205.

perpetuus: Ov. Met. XV, 522 *rota perpetuum qua circumvolvitur axem.*

serus. Adverbium ‚sero' cui semper inest notio »zu spät« (e. c. Prop. II, 25, 28 *siqua venit sero, magna ruina venit*) non invenimus apud Vergilium; qui poeta adhibet neutrius generis formas ‚sera' (G 4, 122) et ‚serum' (A XII, 864) adverbialiter positas (= ‚spät'). Ex exemplis aliis, quibus adverbii loco adiectivum usurpatum legimus, cognoscitur vocem ‚serus' plerumque significare ‚spät, lässig', non ‚zu spät', neque nisi hoc modo loci Propertiani intellegi possunt hi: II, 13, 50 *o mors cur mihi sera venis* (i. e. spät, lässig); conferas etiam III, 4, 5 *sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis.* Recte ab editoribus (Rothsteinio aliis) citatur exemplum Graecum hoc: *ὀψὲ μὲν, ἀλλ' ἔθανον* (Anthol. Palat. VII, 349, ed. Stadtmüller 1899, II, p. 234).

Praeterea locos enumero hos: Verg. Ecl. 1, 27; G 1, 251; 2, 403; 3, 260; A V, 524; VI, 764; VII, 597; VIII, 30 (*seramque pro sero* Servius adnotat); X, 94; Tib. I, 7, 20; Lygd. 4, 22; Prop. I, 7, 20; II, 8, 37; III, 5, 35; Ov. Am. III, 6, 71; 11, 6; Met. II, 617; XIII, 297; XV, 384; Trist. I, 11, 16; II, 545; Pont. II, 6, 7; III, 2, 35; IV, 8, 1.

subitus: Verg. A II, 680 *cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum* (Servius adscripsit: *subitum pro subito*); III, 225 *et subitae horrifico lapsu de montibus adsunt | harpyiae*; V, 522 *hic oculis subitum obicitur magnoque futurum | augurio monstrum.* Sane hoc quidem loco codices omnes adverbium habent *subito* — exceptis paucis libris deterioribus, Montalbanio et Rottendorphiano tertio, qui tradunt *subitum.* Tamen cum Ribbeckio legendum esse puto *subitum;* respicere enim debes

exempla simillima Vergiliana haec: A II, 680 *cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum;* VIII, 81 *ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum ... procubuit.*

Sed pergamus. Addo locos hos: G 3, 360; 4, 488; 554; A VII, 67; 95; 446; 479; VIII, 81; IX, 33; 475; XII, 576; 862; Ov. Am. I, 2, 9; II, 9, 32; Met. II, 349; III, 123; 179; V, 560; VI, 46; VII, 372; XI, 341; Trist. II, 389.

tempestivus: Verg. G 1, 256 *tempestivam silvis evertere pinum*; Ov. Met. V, 500 *veniet narratibus hora | tempestiva meis.*

c) De usu praedicativo adiectivorum vim loci continentium.

adversus. Poetae non adhibent adverbia neque *adversus* neque *adversum*. Cum e. c. apud Plautum structura *adversum ire alicui* trita sit, apud poetas nostros adiectivum invenimus: Verg. A XI, 389 *imus in adversos* sc. *hostes;* Ov. Met. VIII, 403; Am. I, 9, 11 *ibit in adversos montes*; sed cf. Hirt. b. G. 8, 41 *vineas agere adversus montem ... coepit.* Neque vero desunt locutiones adverbiales in poetarum libris; ut exemplo utar, vox *contra* occurrit saepius coniuncta cum verbis: Verg. A V, 21 *nec nos obniti contra*; cf. etiam VIII, 237 *in adversum nitens*; Ov. Met. II, 72 *nitor in adversum.* Ov. Met. III, 361; 9, 50; al.

Usum adiectivi praedicative positi invenimus hisce locis: Verg. A I, 103 *velum adversa ferit (procella);* i. e. *adversus velum ferit.* G 1, 201; A II, 416; III, 287; IV, 701; V, 89; VI, 279; 418; 636; 684; VIII, 58; IX, 347; 374; 443; 588; X, 734; XI, 370; 389; 742; XII, 266; 370; 446; 456; 461; 651; 950; Lygd. 5, 14; Panegyr. 182; Prop. II, 6, 18; III, 15, 32; Ov. Am. I, 9, 11; Met. I, 528; II, 80; 814; IV, 803; V, 161; VIII, 403; 419; XII, 116;



132; 237; 312 (i. e. *ex adverso*); XIII, 541; XV, 732; Trist. IV, 1, 8; Pont. III, 1, 130; IV, 7, 30.

altus: Verg. A I, 26 *manet alta mente*; 209 *premit altum corde dolorem.* Adicio G 2, 290; 350; 4, 368; A I, 692; III, 678; IV, 443 (i. e. *ex alto*); V, 375; VI, 599; VIII, 162; IX, 699; XI, 697; 726; 837 (i. e. *in alto*); XII, 902; Prop. III, 13, 36; Ov. Am. II, 3, 39; III, 8, 36; Met. I, 630; V, 170; VI, 169; VII, 351; XII, 128; al.; Trist. I, 2, 106; 3, 28; II, 178; III, 3, 61; Pont. II, 10, 46; IV, 5, 18.

Promiscue usurpantur adverbium *alte* et formae adiectivi *altus*, e. c. Verg. A V, 375 *caput altum in proelia tollit;* sed cf. V, 443 *ostendit dextram insurgens Entellus et alte | extulit.* Loco vocis *alte* nonnumquam occurrunt locutiones adverbiales velut *in altum* (Ov. Met. VI, 259 *seque eiaculatus in altum | emicat;* cf. IV, 121 *cruor emicat alte*), *ex alto* Met. VI, 294.

dexter: Verg. A V, 162 *quo tantum mihi dexter abis;* II, 388 *quaque ostendit se dextra, sequamur* (i. e. günstig). VIII, 237; 302; IX, 769; Prop. IV, 1, 68; Ov. Met. II, 138.

diversus: Verg. A I, 70 *aut age diversos (ventos)*; Servius adnotat *hoc est disperge illos per diversa.* VII, 150 *urbem et finis et litora gentis | diversi explorant*; IX, 416 *diversi circumspiciunt* (cf. Pacuv. Med. Ribb. fr. 244 *diversi circumspicimus*). Addo G 1, 446; 4, 292; 432; 500 (cf. Serv.); A V, 166; 676; IX, 623; XII, 487; 557; Ov. Met. I, 40; 173; IV, 406; VIII, 464; X, 146; XI, 50.

latus: Verg. A II, 312 *igni freta lata relucent*; cf. A VIII, 623 *longeque refulget (nubes);* XI, 769. VIII, 8 *et latos vastant cultoribus agros;* sed cf. G 4, 16 *omnia nam late vastant.* Adpono G 1, 492; 4, 522; Ov. Am. I, 7, 8; III, 10, 33; Met. I, 599; II, 307; VI, 704; X, 477.

obliquus: Verg. G 1, 239 *obliquus qua se signorum verteret ordo;* A V, 274 *quem obliquum rota transit.* Prop. IV, 8, 77; Ov. Met. V, 132; 215; VIII, 552; X, 490.

Addo Cic. Arat. 301 *atque obliquus in his nitens cum lumine fertur*; Cicero imitatus est Arati (ed. Maass 1893) versus 526/7: *ὁ δὲ τέτρατος ἐσφηκῶται | λόξος ἐν ἀμφοτέροις.*

Loco alio (Aratea 102) vox *λόξος* (Arati v. 58 *λόξος μὲν Ταύροιο τομῆι ὑποκέκλιται αὐτός | Ὠρίων*) verbis his redditur Ciceronianis: *(exinde Orion) obliquo corpore (nitens . . .)*. Sed cf. Cic. fin. I, 20 *(atomis) quae recte quae oblique ferantur.*

rectior: Ov. Met. III, 78 *rectior extat;* cf. Pont. II, 10, 46 *altior extat.*

sublimis. Adverbium vetus ‚sublimen' apud Plautum obvium etiam in Ribbeckii editione Vergiliana nobis occurrit. Qui vir doctus non nisi codice Gudiano nisus nimis audacter edidit *sublimen*, cum libri optimi omnibus locis adiectivi formas tradiderint. Eum non recte mutasse Gudianique lectionem esse revocandam ad librarii errorem, qui facile possit intellegi, optime demonstravit et illustravit Heraeus[1]; is enim ubertim hanc materiam pertractavit.

Adiectivum locis his praedicative positum invenitur: Verg A I, 415 *ipsa Paphum sublimis abit* (Serv. *s. i. e. sublimiter*). Praeterea Verg. G 1, 320; 404; A I, 259; V, 255; VI, 357; 720; VII, 285; X, 144; XI, 67; XII, 789; Tib. I, 6, 83; Panegyr. 74; Prop. III, 1, 9; Ov. Met. IV, 363; 421; 721; VI, 650; VII, 222; XI, 503; XII, 560; XV, 673; Trist. IV, 2, 27; Pont. III, 3, 103.

d) De usu praedicativo adiectivorum modum procedendi indicantium.

citus: Verg. A I, 301 *Libyae citus astitit oris*; IV, 574 *solvite vela citi*; 594 *ferte citi flammas;* V, 33 *fertur cita gurgite classis.* Accedunt IX, 37; XI, 462; XII, 425; Prop. III, 23, 23; Ov. Met. III, 562; XV, 732.

1) Philogus 55 (1896), p. 197 sqq.



Notandum est adverbium ‚cito' a sermone epico alienum esse, usitatum in amatorio. Vergilius non nisi comparativi formam admisit A I, 142 *dicto citius* (formula eadem usi sunt Livius 23, 47, 6 et Horatius sat. 2, 2, 80); A V, 242 *noto citius.*

lentus. Adverbium ‚lente' solus Ovidius usurpat, qui modo adverbio modo adiectivo utitur; e. c. legimus Am. II, 7, 16 *adsiduo domitus verbere lentus eat (asellus)*; sed contra I, 13, 40 *lente currite (equi)*; Met. III, 15 *lente videt ire iuvencam*; Propertius semel comparativum adhibet IV, 7, 30 *lentius ire.*

Enumero Verg. Ecl. 1, 4 *lentus in umbra | formonsam resonare doces Amaryllida silvas* (Servius: *lentus i. e. securus, otiosus, tranquillus,* ut A XII, 237); A V, 682 *lentusque carinas | est vapor*; XII, 237 *qui nunc lenti consedimus arvis.* Quo loco *lentus* significat »lässig, träge«, ut saepius. Addo Tib. I, 9, 58; II, 3, 45; Prop. I, 6, 12; 15, 4; II, 14, 14; 22; 33, 25; III, 8, 20; Ov. Am. II, 7, 16; III, 6, 60; 11, 30; Trist. II, 514; III, 11, 40; 47.

ocior: Verg. A V, 319 *emicat et ventis et fulminis ocior alis*; VIII, 223 *fugit ilicet ocior Euro*; XII, 733 *fugit ocior Euro.* Imitati sunt locutionem hanc Ovidius Met. I, 502 *fugit ocior aura*; sed contra metri causa III, 209 *ruunt alii rapida velocius aura*; Stat. Theb. VI, 521 *volat ocior Euro*; Sil. II, 173 *ocior Euro | incita . . . trahit.* Conferas etiam Verg. A V, 442 *illa Noto citius volucrique sagitta | ad terram fugit*, ubi formula *ocior Noto* vel *Noto ocior* metro apta non erat. Addo locos hos: Verg. A X, 248; Ov. Met. VII, 776.

Praeter adiectivum etiam formam adverbialem *ocius* invenimus apud poetas epicos. Sed id statuendum est vocem *ocior*, cuius non nisi nominativus numeri singularis extat, vere comparativum esse et ita usurpari, *ocius*

autem nihil nisi »schnell«, non »schneller als« significantem secundum Graecum illud ὠκέως esse formatam; sed contra vox *velocius* vere comparativus fuit (e. c. Ov. Met. III, 209).

Vergilius, ni fallor, formam illam nominalem *ocior* novavit inque linguam Latinam induxit.

pernix: Verg. G 3, 93 *et ipse iubam cervice effundit equina | coniugis adventu pernix Saturnus.*

properatus: Ov. Met. III, 296 *et ierat iam vox properata sub auras.*

properus: Ov. Met. VII, 647 *venit Telamon properus*; Verg. A XII, 85 *circumstant properi aurigae*; 573 *ferte faces properi foedusque reposcite flammis.* Conferas quae adnotavi ad usum adverbii *propere* supra p. 18—20.

rapidus: Verg. A I, 59 *(venti) rapidi secum ferunt (omnia)*; cf. Ov. Trist. I, 2, 91; 117 *rapidus vocat aequore vortex*; 644 *rapidum ad navis praemittit Achatem.* V, 513; X, 870; XI, 629; 906 *(sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur | agmine;* sed cf. Cic. Orat. 128 *quod cum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest)*; XII, 81; G 4, 425; Ov. Trist. I, 2, 91.

tardus: Verg. A V, 154 *sed pondere pinus tarda tenet* (i. e. *tenetur*); 280 *navis se tarda movebat.* Praeterea Ecl. 10, 19; G 1, 163; 2, 52; 58; A V, 431; 682; Tib. I, 8, 16; Prop. I, 37 (= *sero*); 7, 26; 13, 7; 14, 4; II, 31, 1; Ov. Met. IX, 347 (= *sero*); Trist. V, 2, 52.

e) De usu praedicativo adiectivorum, quibus inest significatio numeri, copiae, gradus.

benignus: Tib. I, 3, 62 *floret odoratis terra benigna* (i. e. *copiose*) *rosis;* Ov. Am. I, 10, 56 *praebeat Alcinoi poma benignus ager.*

clarus: Verg. A V, 139 *inde ubi clara dedit sonitum tuba.*



creber: Verg. A I, 90 *crebris micat ignibus aether;* II, 731 *subito cum creber ad auris | visus adesse pedum sonitus.* Accedunt G 3, 470; 554; A III, 127; V, 199; 436; 460; 764; XI, 209; Ov. Met. X, 508.

frequens: Verg. A I, 707 *(Tyrii) frequentes | convenere;* sed cf. Ov. Am. III, 6, 2 *exequias | ite frequenter aves;* Met. VI, 159 *ite frequentes.* VI, 486 *circumstant animae dextraque laevaque frequentes;* X, 506 *referunt Pallanta frequentes.* Addo G 1, 99; 4, 216; Ov. Am. II, 5, 21; Met. II, 409 (*ut redit itque frequens*, quod versus initium iterum occurrit a. a. I, 93); VI, 159.

gravis: Verg. G 2, 377 *aut gravis incumbens .. aestas;* A V, 387 *hic gravis Entellum dictis castigat Acestes;* X, 207 *it gravis Aulestes.* cf. Pseudoverg. Moret. 112 *sed gravior .. ibat.* Addenda: Prop. II, 10, 9; 30, 8; Ov. Met. VI, 339.

inanis: Verg. A IV, 210 *et inania murmura miscent (ignes)*; 218 *famamque fovemus inanem;* 449 *lacrimae volvuntur inanes.* cf. etiam G 2, 285; A VIII, 593; IX, 219; X, 627; Prop. II, 32, 19; Ov. Met. II, 575; III, 83; VIII, 134; XI, 576; Trist. III, 3, 50.

inutilis: Verg. A II, 647 *et inutilis annos | demoror;* Ov. Met. XIII, 37/38.

largus: Verg. A VI, 640 *largior hic campos aether et lumine vestis | purpureo.*

multus: Ov. Am. I, 15, 38 *atque ita sollicito multus amante legar;* II, 4, 34; Trist. IV, 10, 128 *et in toto plurimus orbe legor;* cf. Sall. Iug. 96 *in agmine atque ad vigilias multus adesse (Sulla).*

perpetuus: Verg. A IV, 32 *solane perpetua maerens carpere iuventa.* Ov. Met. I, 565 *tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.* Addo Trist. IV, 9, 26.

parcus: Ov. Trist. III, 2, 19 *nec nostro parcior imber | lumine de verna quam nive manat aqua.*

praecipuus: Verg. A VIII, 177 *praecipuum toro ... accipit Aenean*; Ov. Pont. III, 4, 16.

quantus: Verg. A IX, 668 *quantus ob occasum veniens ... | verberat imber humum*; XI, 283 *experto credite quantus | in clipeum adsurgit.* Addenda sunt: A XII, 701/2; Tib. I, 7, 15; Met. VIII, 583; Pont. III, 3, 6.

rarus: Verg. A IX, 189 *lumina rara micant*; cf. I, 90 *crebris micat ignibus aether.* 383 *rara per occultos ducebat semita calles.* Accedunt Ecl. 6, 40; G 4, 46; A I, 118; III, 314; Tib. II, 3, 16; Prop. II, 19, 13; Ov. Met. I, 145; XI, 766; XII, 595; XIII, 588; Trist. III, 12, 37; 38; IV, 5, 28; 7, 24; Pont. I, 2, 128 (126); 8, 66; III, 1, 19; 5, 35; IV, 2, 24; 10, 44.

solus: Verg. A II, 366 *nec soli poenas dant sanguine Teucri | quondam etiam*; III, 183 *sola mihi .. Cassandra canebat.* III, 365; 421; saepissime.

spatiosus: Ov. Am. III, 6, 85/86 *dum loquor increscis* (codd. *increvit*) *latis spatiosior undis* (codd. *spatiosus in undis*, Bentley primo *spatiosius* deinde *spatiosior*) | *nec capit admissas alveus altus aquas.* Ehwaldii lectioni, quam proposui, prorsus adsentiar respiciens etiam locum Ovidianum hunc a. a. II, 645 *omnibus Andromache visast spatiosior aequo*, quae versus clausula simillima est.

splendidus: Ov. Met. II, 722 *quanto splendidior quam cetera sidera fulget | Lucifer.*

tantus: Verg. A XI, 644 *tantus in arma patet.*

unus: Tib. I, 2, 9 *ianua, iam pateas uni mihi.* Addo IV, 13, 5; Prop. I, 5, 12; IV, 3, 56; 4, 85; Ov. Am. I, 6, 15; II, 17, 34; Trist. III, 3, 17; Met. III, 269; al.

verus: Verg. A II, 78 *cuncta equidem tibi rex .. fatebor | vera*; 149 *mihique haec edissere vera roganti.* Addo Lygd. 4, 77; Ov. Pont. II, 6, 7 (*vera facis* i. e. *recte f.*); Met. II, 43; VIII, 195.



f) De usu praedicativo adiectivorum modi.

Restat ut agam de adiectivis modi, quorum separatim pertractabo adiectiva affectum quendam indicantia.

Exempla haec mihi praesto sunt:

aequus: Verg. A VI, 129 *quos aequus amavit | Iuppiter* (i. e. gewogen); Prop. IV, 6, 20 *nec remis aequa favebat avis.* Ov. Met. XIII, 131.

ambiguus: Verg. A V, 655 *(matres) ambiguae spectare rates.*

castus: Verg. A VIII, 412 *castum ut servare cubile coniugi*; sed cf. Cic. Brut. 330 *tueamur (eloquentiam) ut adultam virginem caste.*

cautus: Prop. III, 18, 25 *ille licet ferro cautus se condat et aere*; Ov. Trist. I, 9, 20 *cautaque communi terga dedere fugae.* Ov. Pont. III, 6, 3; Met. I, 136; V, 361.

certus: Verg. A V, 2 *Aeneas iam classe tenebat | certus iter* (i. e. *tutus*); IX, 96 *certusque incerta pericula lustret.* XII, 268.

communis: Verg. A IV, 102 *communem hunc ergo populum paribusque regamus | auspiciis.*

concors: Verg. A III, 542 *frena iugo concordia ferre*; Ov. Met. III, 473 *nunc duo concordes anima moriemur in una.* Sed cf. Met. VII, 752 *et dulces concorditer exigit annos*; Cic. Rabir. 14 *quicum (fratre) concordissime vixerat.*

decens: Prop. IV, 8, 52 sed *furibunda decens* (sc. *erat*); cf. autem Ov. Am. II, 5, 44 *maesta decenter erat.*

demens: Verg. A IV, 78 *demens audire labores, exposcit*; 107 *quis talia demens | abnuat.* Addo IV, 374; IX, 577; X, 813; XI, 276; XII, 601; Tib. I, 5, 20; 9, 78; 10, 56; IV, 13, 17; Prop. II, 18, 23; Ov. Met. I, 753; VII, 87; IX, 303; Am. II, 4, 4; Trist. IV, 1, 30; 101; 8, 37; Pont. IV, 14, 20.

dignus: Ov. Pont. I, 9, 37 *multos habes cum* dignus *amicos.*
doctus: Ov. Met. III, 168 *nam* doctior *illis . . . capil=los | colligit in nodum*; cf. a. a. I, 2 doctus *amet.*
dubius: Verg. G 2, 283 *sed* dubius *mediis Mars errat in armis*; A IX, 797 *retro* dubius *vestigia Tur=nus | . . . refert.* Ov. Trist. I, 11, 13; III, 2, 15.
dulcis: Prop. I, 12, 6 *Cynthia nec nostra* dulcis *in aure* sonat; sed cf. IV, 1, 52 molle sonet.
facundus: Ov. Pont. IV, 9, 47 *nunc facere in medio* facundum *verba senatu.*
fallax: Prop. II, 34, 35 *Phrygio* fallax *Maeandria campo | errat*; Ov. Met. III, 638 *per mare* fal=laces . . . iurant (cf. XIII, 559 falsaque iurantem). Addo VII, 326; Lygd. 4, 49; 6, 47; sed cf. Met. XI, 643 fallaciter *omnia transit.*
felix: Verg. A III, 493 vivite felices; Lygd. 5, 31 vivite felices; contra cf. Cic. fin. III, 26 *semper* feliciter vivere *(sapientes).* Addo Tib. I, 5, 18 *et precibus* felix *utitur ille meis.*
firmus: Ov. Trist. III, 4, 43 *impositumque tibi* firma tuetur *onus* (Cic. fin. III, 31 *adsensusque suos* firme sustinere).
flebilis: Ov. Am. III, 9, 3 flebilis *indignos Elegeia solve capillos.*
foedus: Verg. A IV, 195 *haec passim dea* foeda *virum diffundit in ora.*
formosus: Prop. I, 15, 8 *ut* formosa *novo quae parat* ire *viro* (ire = esse).
furtivus: Verg. A VII, 660 quem *Rhea sacerdos |* fur=tivum *partu . . . edidit*; cf. IX, 546 quem *serva Licymnia* furtim | sustulerat. Prop. I, 3, 24 *nunc* furtiva *cavis poma dabam manibus*; Ov. Pont. III, 3, 56 *lex* furtivos *arcet habere viros.*



gratus: Verg. A II, 269 *(quies) dono divum* gratissima serpit; XI, 127 *nos vero haec patriam* grati *referemus ad urbem*; Prop. IV, 11, 100 *dum pretium vitae* grata *rependit humus.* Verg. A V, 344; Ov. Pont. III, 4, 81; IV, 8, 2.
importunus: Verg. A XII, 864 *canit* importuna *per umbras*; Ov. Am. III, 9, 19 *scilicet omne sacrum mors* importuna *profanat.* Met. X, 634.
imprudens: Tib. I, 2, 37 *siquis et* imprudens *aspexerit* (= unabsichtlich); Prop. IV, 1, 71 *quo ruis* in=prudens, *vage, dicere fata Properti?* (= unklug). Cf. infra *prudens.*
incautus: Verg. A XI, 781 *totumque* incauta *per agmen (sequebatur).*
incertus: Verg. G 4, 103 *at cum* incerta volant *caeloque exagmina ludunt*; sed cf. Enn. trag. 241 Vahl. incerte errat *animus.* A II, 39 *scinditur* incertum *studia in contraria vulgus*; Ov. Met. VIII, 472 *(carina) paretque* incerta *duobus.*
ineptus: Prop. II, 18, 28 *quae (puella) mentita suas vertit* inepta *comas.*
infestus: Verg. A VII, 299 infesta *per undas | ausa sequi (Iuno)*; V, 282; sed. cf. Ov. Met. XI, 372 *sternitque* hostiliter *omne.*
ingratus: Ov. Pont. IV, 6, 50 *arguat* ingratum *non* meminisse *sui*; cf. autem Cic. fin. I, 62 *(sapiens) praeterita* grate meminit.

Sed huc non referendus est locus Propertianus hic II, 34, 81: *non tamen haec ulli* venient ingrata *legenti*; ,venire' enim saepius apud Propertium notionem verbi substantivi habere ostendit post alios Rothstein (adn. ad I, 4, 10) exemplisque illustravit.

inhonestus: Ov. Met. XII, 224 *cum tua terga dares* inhonestaque *vela parares.*

inimicus: Verg. G 1, 407 *ecce inimicus atrox ... | insequitur Nisus*; sed cf. Cic. nat. I, 5 *qui inimice insectantur.* A VI, 472 *atque inimica refugit.*

iniustus: Ov. Met. V, 277 *iniustaque regna tenebat (Pyrenaeus).*

immeritus: Verg. A III, 2 *Priamique evertere gentem | immeritam.* Prop. II, 25, 18; IV, 5, 16; Ov. Met. XII, 545; XIII, 185.

innocuus: Ov. Met. IX, 374 *viximus innocuae.* Dissentire a se Ovidium plane apparet ex loco hoc (a. a. I, 640): *innocue vivite.*

insanus: Prop. I, 9, 16 *nunc tu | insanus medio flumine quaeris aquam*; Ov. Am. I, 12, 21 *Hic ego com= misi nostros insanus amores.* Addo exempla similia haec: Verg. A IV, 8 *cum sic unanimam adloquitur male sana sororem*; Ov. Met. IV, 521 *passisque fugit male sana capillis.*

insidiosus: Ov. Met. VII, 744 *insidiosa malo cum coniuge limina fugit (Phocris)*; Pont. IV, 6, 8 *votisque malignum | opponit nostris insidiosa pedem.*

iustus: Prop. I, 19, 16 *et Tellus hoc ita iusta sinat.*

latens: Ov. Pont. III, 3, 102 *utque latens ima vipera serpit humo.* Met. II, 545; VIII, 325; IX, 573.

laxus: Ov. Am. III, 4, 16 *frenaque in effusa laxa iacere iuba.* Sed. cf. Am. II, 10, 18 *et medio laxe ponere membra toro.*

lenis: Verg. A III, 70 *lenis crepitans vocat auster in altum.* Non male Wagner comparat, adnotans ad A VIII, 559, locum Graecum hunc: δένδρεα ταῦτα | πρηῢς ἐπιπνείων ἀμφιδονεῖ Ζέφυρος (Anthol. Palat. IX, 668). Quo loco proprietatem dicendi Vergilianam deprehendimus; qui poeta ubi expectaveris adverbium adiectivum adponit parti=



cipio. Ortus videtur esse hic usus ab epithetorum ornantium cupiditate, ut exempla docent haec:

Verg. G 1, 163 *tardaque .. volventia plaustra* (sed cf. G 2, 3 *tarde crescentis olivae*); 3, 350 *turbidus et torquens flaventis Hister harenas*; 4, 370 *saxo= susque sonans Hypanis*; A II, 377 *gravis incum= bens scopulis ... aestas*; V, 344 *gratior et pulchro veniens in corpore virtus*; 764 *creber et adspirans ... auster*; XI, 832 *tunc vero immensus surgens ferit aurea clamor | sidera.* Cf. etiam G 1, 320 *sublimem expulsam eruerent (segetem)*; 4, 19; 425; A I, 352; 118; VIII, 299; 559; X, 586; XI, 697; 755; XII, 457; 902; Ov. Met. VI, 476; 650; IX, 703; Trist. IV, 2, 45.

Sed redeamus ad adiectiva modi:

levis: A II, 682 *ecce levis summo de vertice Iuli | fun= dere lumen apex*; V, 838 *cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris*; VI, 17 *... levis tandem astitit arce*; cf. I, 301 *citus astitit oris.* Addo A V, 819; XI, 595; Ov. Met. VI, 334; VII, 778.

meritus: Verg. A III, 118 *meritos aris mactavit hono= res*; cf. Ov. Pont. IV, 7, 16 *contigit ex merito qui tibi nuper honor.* Ov. Met. XI, 130 *meritus torquetur ab auro.* VIII, 387; XI, 325.

miserabilis: Ov. Am. III, 9, 9 *aspice demissis ut eat miserabilis alis.*

mollis: Verg. A VIII, 726 *Euphrates ibat iam mollior undis*; cf. Pseudoverg. Moret. 112 *sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.* Prop. I, 20, 22 *mollia composita litora fronde tegit.* II, 4, 4; III, 9, 57; cf. contra Ov. a. a. III, 344 *elige quod docili molliter ore legas.*

obscenus: Verg. A VII, 417 *et frontem obscenam rugis arat (Allecto).*

obscurus: Verg. A II, 135 *per noctem obscurus in ulva | delitui* (cf. Serv.); VI, 268 *ibant obscuri sola sub nocte per umbram.*

occultus: Verg. A I, 688 *occultum inspires ignem.* cf. Tib. II, 6, 46; Prop. III, 11, 54; Ov. Pont. I, 1, 69.

Sed huc referri non potest locus hic Verg. G 3, 397 *et salis occultum referunt in lacte saporem* (i. e. den leisen, heimlichen Geschmack); nam conferas etiam G 2, 246 *at sapor iudicium faciet manifestus, et ora* | . . . *torquet amaror;* iis enim adsentiar qui interpungunt post vocem *manifestus*, quae coniungenda est cum *sapor* substantivo.

officiosus: Ov. Pont. I, 1, 20 *Musaque ad invitos officiosa venit;* IV, 2, 6.

opportunus: Ov. Met. X, 555 *opportuna sua blanditur populus umbra.*

pius: Prop. II, 9, 47 *si forte pios eduximus annos;* Ov. Am. II, 13, 12 *sic tua sacra pius semper Osiris amet;* III, 9, 37 *vive pius, moriere, pius cole sacra.* Sed cf. Tib. I, 3, 25 *pie dum sacra colis;* Cic. nat. deor. I, 56 *pie sancteque colimus.* Addo Ov. Met. XIII, 626; XV, 405.

Restat, ut locum unum Ov. Trist. I, 2, 104 tractem; codices enim alii legunt *proque* | *Caesare tura piis Caesaribusque dedi*, alii *pius*. Cum recipimus lectionem *piis*, Caesares a poeta *pii* nominantur; quod epitheton Ovidium et aliis locis Caesaris proli attribuere comprobatur hisce exemplis: Pont. II, 83 *quem (Caesarem) pia vobiscum proles comitavit euntem;* III, 1, 162—4 *tura fer ad magnos vinaque pura deos* | *e quibus ante omnis Augustum numen adora* | *progeniemque piam.* Cf. etiam II, 2, 75/6 *adde nurus neptesque pias natosque nepotum* | *ceteraque Augustae membra valere domus.* Tamen cum Riesio aliis scriptura utar hac: *proque* | *Caesare tura pius Caesaribusque dedi* respiciens locum unum nostro simillimum, quo poeta se ipsum quasi iterat; legimus enim Trist. II, 59 *at pia tura dedi pro te* (i. e. *pro Caesare*). Loco primo (I, 2, 104) igitur



figuram habemus *hypallagen* quam vocamus ita, ut *tura pius* . . *dedi* ponatur pro *pia tura dedi;* cuiusmodi usus exempla non raro inveniuntur apud poetas dactylicos, qui cum aliis causis tum metri ratione adducti sunt, ut a sermone sollemni recederent. Conferas e. g. Verg. A X, 227 *eminet (Cymodocea) ac laeva tacitis subremigat undis;* ubi forma *tacita* quam expectamus, tres syllabas breves continens versui apta non fuit.

Simili modo loco quem pertractavi, voce *pius* poeta usus est, cum formula *pia tura* versui illi inseri facile non posset.

placidus: Verg. A I, 127 *placidum caput extulit unda (Neptunus);* cf. G 3, 422 *timidum caput abdidit alte;* III, 266 *et placidi servate pios;* quibus de causis lectio *placide* codicum Palatini et Gudiani (pr. m.) sit reicienda, iam antea (p. 20) ostendi usum vocis *propere* tractans. Accedunt A III, 78; IV, 578; X, 103; Panegyr. 170; Prop. II, 16, 47; Ov. Trist. III, 1, 2.

prudens: Tib. I, 6, 29 *non ego te laesi prudens* (i. e. *consilio, consulto*); Ov. Met. III, 364 *illa deam longe prudens sermone tenebat.* XV, 641; cf. supra *imprudens.*

pulcher: Verg. A VIII, 75 *quocumque solo pulcherrimus exis;* cf. Ov. Am. I, 5, 11 *qualiter . . . Semiramis isse* | *dicitur.* A V, 728 *consiliis pare quae nunc pulcherrima Nautes* | *dat senior.*

rabidus: Ov. Met. XII, 489 *ecce ruunt vasto rabidi clamore bimembres.* Codices duo meliores (sunt codex S. Marci et frgm. Londinense) tradunt *rapidi;* sensui autem magis convenit scriptura *rabidi* a ceteris libris data, quam recipiam.

secretus: Verg. A IV, 494 *tu secreta pyram . . erige.*

secundus: Verg. A III, 455 *possisque sinus implere secundos;* Ov. Trist. I, 1, 51 *non ita se praebet*

*nobis Fortuna* secundam; contra cf. Trist. IV, 5, 23 praesta constanter. Addo Verg. A III, 529; V, 32; IX, 282; Ov. Pont. II, 3, 26.

sitiens: Ov. Pont. III, 4, 55 *illa (pocula) bibit* sitiens *lector*. I, 8, 60.

sollers: Ov. Met. XIII, 37 *donec* sollertior *isto* ... *commenta* retexit. Cf. autem XI, 635 *non illi quisquam* sollertius *alter* | exprimit *incessus*. Am. II, 19, 41.

stultus: Tib. I, 2, 66 *qui* ... *maluerit praedas* stultus *et arma sequi;* IV, 12, 3 *sic quisquam tota commisi* stulta *iuventa*. Ov. Am. II, 8, 25; Trist. III, 4, 28; V, 5, 39; Pont. IV, 11, 11.

surdus: Prop. IV, 3, 53 *omnia* surda *tacent*. IV, 5, 47; 11, 6.

tacitus: Verg. A I, 502 *Latonae* tacitum *pertemptat gaudia pectus*, ubi adscripsit Servius tacitum *pro* tacite, *ut VII, 343*. II, 125 taciti *ventura videbant*. Accedunt Ecl. 9, 21; 37; G 2, 254; A III, 667; IV, 67; 289 (Serv. *taciti pro tacite*); 306; VI, 386 (Serv. *per tacitum nemus aut ipsos tacitos i. e. tacite* ...); VII, 343; 505; VIII, 108 (cf. Serv.); X, 227; XI, 763; Tib. II, 1, 89; Ov. Met. III, 241; XI, 189; Trist. I, 1, 21; 29; V, 1, 14; 50; Pont. IV, 2, 42.

Codices dissentiunt in loco Vergiliano hoc A VIII, 108: *et tacitis incumbere remis*; Mediceus, Palatinus, Romanus, prima manus Gudiani et duorum Bernensium legunt *tacitos*, ceteri *tacitis*. Recte iam Ribbeckius edidit *tacitis incumbere remis*, quod postulat ratio loquendi Vergiliana, ut exemplis simillimis comprobatur his: A V, 15 *validisque incumbere remis*, non *validosque i. r.*; X, 294 *validis incumbite remis*. Praeterea Servius nobis testis est vocis *tacitis;* dicit enim: *tacitis incumbere remis pro ipsi taciti.*

tenax: Ov. Pont. IV, 6, 7 perstat *enim fortuna* tenax. Sed cf. Cic. Phil. XIV, 17 *parum* constanter *in suscepta causa* permanere.



turpis: Prop. I, 16, 12 turpior *et saecli* vivere *luxuria*. Sed cf. Cic. Tusc. II, 12 *quosdam perfectos philosophos* turpiter vivere. Addenda sunt exempla haec: Ov. Am. II, 10, 4; Met. VI, 374.

tutus: Verg. A I, 243 *Antenor potuit* ... tutus | *regna Liburnorum et fontem superare Timavi;* 571 *(vos) auxilio* tutos *dimittam;* X, 47; II, 620 tutum *patris de limine sistam*. Addo III, 377; V, 813; VIII, 323; Tib. I, 2, 27; Prop. II, 12, 11; 34, 35; Ov. Am. II, 2, 56; Met. I, 594; II, 137; 149; 696; IV, 69; V, 161; XIII, 769; XIV, 293; XV, 99; 585; Trist. I, 10, 13; III, 4, 21; 12, 36; V, 5, 18; Pont. I, 8, 8; III, 1, 28; 6, 59.

Restat, ut unum locum afferam ubi codices dissentiunt, Met. XI, 66: *Eurydicenque suam iam* tuto respicit *Orpheus;* lectionem *tutus* codex S. Marci nobis dat, mox ipse erasit litteras *us*; tamen legendum esse puto *tutus*, quia optime respondet rationi dicendi qua utitur Ovidius in Metamorphoseon carminibus, in quibus adverbia *ō* littera terminata multo magis vitat quam in libris amatoriis. Addo exempla digna quae comparentur haec: Met. II, 149 *quae* tutus spectes; Prop. II, 12, 11 tuti cernimus *hostem*.

utilis: Ov. Pont. IV, 10, 16 *curvet ut impulsos* utilis aura *sinus;* cf. II, 3, 26 *dum flavit velis* aura secunda *meis*.

validus: Verg. A V, 15 validisque *incumbere remis*; X, 294 validis *incumbite remis*.

versutus: Prop. IV, 7, 37 *aut Nomas arcanas tollat* versuta *salivas*.

volubilis: Ov. Trist. V, 8, 15 *passibus ambiguis Fortuna* volubilis errat; cf. Enn. trag. Vahl. 241 incerte errat *animus*.

Liceat mihi adiectiva modi tractanti breviter disserere etiam de versu Propertiano hoc I, 17, 3: *nec mihi Cassiope solito visura carinam*. Quem locum a Rothsteinio (vide quae adnotavit) recte intellectum esse non puto. Inter-

pretatur enim vir doctissimus ille fere hoc modo: Und nicht wird mir Cassiope, wie gewöhnlich (d. h. wie es mit andern Schiffen geht) mein Schiff erblicken; ubi *solito* ablativum absolutum i. e. adverbium esse censet. Iniuria; adverbium enim *solito* nusquam nisi apud Isidorum invenitur, ceterum constat a Propertio adverbium nullum novatum esse. Denique facile difficultatem si omnino adest tollere possumus sic coniungentes: Und nicht wird mir, der ich es gewohnt bin (sc. von andern Fahrten gewohnt bin), Cassiope mein Schiff erblicken. Cuiusmodi dictiones etiam aliis locis occurrunt, e. c. IV, 9, 66 *haec fesso vix mihi terra patet*; 11, 69 *mihi cymba volenti | solvitur;* al.

## 7. De usu praedicativo adiectivorum, quibus affectus describitur.

Iam properemus ad ultimam enumerationis partem et agamus de adiectivis affectum quendam indicantibus.

acer: Verg. A V, 254 *(puer) cervos cursuque fatigat | acer;* 402 *(caestus) quibus acer Eryx .. suetus | ferre manum*; 454 *acrior ad pugnam redit;* 507 *post acer Mnestheus adducto constitit arcu;* IX, 416 *hoc acrior idem | ecce aliud summa telum librabat ab aure* (de codicum dissensu postea agam). Addo G 2, 405; 3, 154; A V, 668; X, 308; 577; XI, 800; XII, 783; Prop. II, 30, 9; Ov. Met. II, 86; Trist. IV, 9, 29.

acerbus: Tib. I, 2, 98 *quid messes uris acerba tuas.*

aeger (i. e. *maestus*): Verg. Ecl. 1, 13 *ipse capellas | protenus aeger ago.*

animosus: Ov. Trist. IV, 2, 45 *collaque Romanae praebens animosa securi;* sed cf. Cic. Phil. IV, 6 *animose et fortiter fecerunt.* Addo Ov. Met. VI, 134; XII, 464.



ardens: Verg. A I, 423 *instant ardentes Tyrii;* II, 41 *Laocoon ardens summa decurrit ab urbe;* 529 *illum ardens infesto vulnere Pyrrhus | insequitur.* Accedunt V, 456; VI, 5; VII, 481; IX, 421; X, 514; 689.

atrox: Verg. A I, 662 *urit atrox Iuno*; IX, 420 *saevit atrox Volcens*; Ov. Met. XI, 275 *odiumque ... exercebat atrox.* Verg. G 1, 407.

Adverbium ,atrociter' ne uno quidem loco a poetis his admittitur.

audax: Prop. III, 8, 5 *tu vero nostros audax invade capillos*; Ov. Met. III, 63 *furit audacissimus omni | de numero Lycabas.* Panegyr. 52. Sed cf. Cic. Sex. Rosc. 104 *multa ... audaciter fecisti*; Ov. Pont. I, 5, 63 *forsitan audacter faciam.*

avarus: Ov. Met. II, 759 *quod avara poposcerat, auro*; VII, 466; Prop. I, 8, 37/8 *quamvis magna daret, quamvis maiora daturus, | non tamen illa meos fugit avara sinus*; codices peiores vitiose tradunt amara, sensus postulat *avara* et ita liber Neapolitanus.

avidus: Verg. A I, 514 *avidi coniungere dextras | ardebant*; III, 132 *ego avidus muros ... molior*; VI, 210 *(Aeneas) avidusque refringit | cunctantem.* Addo G 3, 553; A XII, 909; Ov. Met. II, 719; V, 484; IX, 173.

Adverbium ,avide' solus Ovidius admisit, e. c. Fast. 3, 752 *atque avide trunco condita mella petit (Silenus),* ubi ponere potuit poeta *avidus.* Commemoro praeterea locum hunc Am. III, 8, 59 *(divites) ne nostros avidi liceantur amores,* ubi Ehwald scripsit *avide,* haec adnotans: *avide quod scripsi habere videtur Parisinus I.* Recte edidit Ehwald, praesertim cum Ovidius in amatoriis libris saepe adverbiis usus sit, quamvis aptum fuerit adiectivum.

blandus: Ov. Met. VI, 476 *blanda tenens umeros*; XIV, 258 *quin etiam blandas movere per aëra caudas.* Codices non consentiunt Am. III, 7, 55,

ubi Parisinus I et Sangallensis legunt *sed puto non blanda, non optima perdidit in me | oscula* .., reliqui *sed non blanda puto, non* ... Qua scriptura ultima poetam usum non esse ex eo cognosces quod vox *puto* apud poetas dactylicos continet duas syllabas breves neque nisi in pentametri fine syllaba *—to* producta apparet, e. c. Prop. II, 24, 40 *ferre ego formosam nullum onus esse puto.* Praeterea locutiones *sed puto* (e. c. Am. II, 15, 25; III, 7, 9), *at puto* (e. c. Pont. I, 2, 41; 3, 47; 5, 25; 8, 39) poeta noster in initio versus libenter posuit. Lectioni igitur *sed puto non blanda* ... propius accedere debemus et retinere eam; *blanda* habet *a* in fine productum, ut Prop. II, 13, 25; IV, 5, 64; al. Hac de re primus monuit Birt Mus. Rhen. 38, p. 219 adn.; idem plura exposuit ad Verg. Catalepton 9, 60. Itaque Ehwald frustra *blande* coniecit.

crudelis: Verg. VI, 359 *ni gens crudelis ... ferro invasisset;* IV, 661 *hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto | Dardanus*; Ov. Met. V, 20 *nisi si crudelis id ipsum | exigis.* Addo Met. V, 542; VI, 280; VIII, 175; XIV, 728; Pont. IV, 11, 8.

cupidus: Verg. A VIII, 165 *accessi et cupidus Phenei sub moenia duxi.*

durus: Prop. II, 22, 11 *quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat*; 30, 13 *ista senes licet accusent convivia duri*; Ov. Met. V, 244 *sed inexorabile durus | exerces odium*; cf. IX, 275 *odiumque .. exercebat atrox.* Met. X, 619; XIII, 184; XIV, 376; Pont. I, 2, 8; IV, 15, 36.

ferox: Verg. A IV, 135 *ac frena ferox spumantia mandit (sonipes)*; X, 711 *infremitque ferox*; Prop. II, 4, 5 *sic primo iuvenes trepidant in amore feroces.* Addo Prop. III, 11, 13; Ov. Met. IV, 237; 519;



V, 35; VI, 698; XI, 490; XII, 294; 390; XIII, 612; XIV, 198; 377; 715; XV, 515; Trist. I, 2, 9,

Adverbium ‚ferociter' non inveni.

fidens: Verg. A XI, 370 *aude atque adversum fidens fer pectus in hostem.*

fortis: Ov. Am. I, 7, 26 *et valui poenam fortis in ipse meam*; Verg. G 2, 48 *sed laeta et fortia* (= kräftig) *surgunt;* Tib. II, 2, 14 *fortis arat valido rusticus arva bove;* Prop. I, 8, 5/6 *tune audire potes vesani murmura ponti | fortis, et in dura nave iacere potes?*

furens: Verg. A I, 491 *ducit agmina ... Penthesilea furens;* II, 498 *fertur in arva furens;* IV, 69 *totaque vagatur | urbe furens.* VI, 262; XI, 486; 901; Ov. Met. III, 716.

furiosus: Ov. Pont. I, 1, 25 *nec me nominibus furiosus confero tantis.*

invidiosus: Ov. Met. VIII, 144 *Gnosiacaeque haeret comes invidiosa carinae.*

invitus: Verg. A IV, 493 *testor ... te ... magicas invitam accingier artes*; VI, 460 *invitus, regina, tuo de litore cessi.* Accedunt X, 233; XII, 809; Tib. I, 8, 8; 9, 28; Prop. I, 3, 30; 19, 23; II, 18, 14; Ov. Am. I, 4, 65; III, 7, 78; 11, 35; Met. I, 613; V, 492; VI, 628; IX, 259; 680; X, 662; XIII, 475; XV, 614.

laetus: Verg. A I, 35 *laeti vela dabant*; 416 *sedesque revisit | laeta suas.* Addo G 1, 301; 304; 2, 363; 383; 3, 310; 320; 375; 379; A I, 503; 554; 685; 696; II, 260; 395; 687; III, 169; 347; 638; IV, 295; 418; V, 34; 58 *et laetum cuncti celebramus honorem;* hoc loco exemplum habemus figurae *hypallage* quae nominatur. Poeta iuncturam *laeti cuncti* devitans, adiectivum adiunxit voci *honorem;* quae ratio loquendi a poetis saepius adhibetur et nonnumquam metro dactylico adducta est; conferas quae dixi p. 79; vide etiam A XII, 690 (*plurima* pro *pl—o, —um*); Tib. I, 3, 76 (*adsiduas* pro *adsiduus*); Met. VIII, 754; Ov. Pont. IV, 9, 47 (*facundum* pro *facunda*), al. Sed pergamus: A V, 100; 210;

236; 304; 515; 577; 667; VI, 193; VII, 36; 130; 147; 259; 430; VIII, 268; 279; 311; 544; 681; IX, 89; 157; X, 15; 643; 874; XI, 42; XII, 393; Tib. I, 2, 87; II, 4, 41; IV, 6, 3; Panegyr. 133; Prop. I, 11, 25; Ov. Am. I, 2, 39; Met. I, 560; 776; IV, 479; VII, 99; IX, 703; X, 124; XI, 98; 106; Trist. I, 5, 65; IV, 4, 81; V, 8, 17; Pont. II, 1, 58.

lascivus: Ov. Am. III, 7, 10 *lascivum femori sup= posuitque femur*; cf. Am. III, 14, 22 *nec femori impositam sustinuisse femur.* Met. III, 685 *lascivaque iactant | corpora.* Adverbium invenitur Am. II, 10, 27 *saepe ego lascive con= sumpsi tempora noctis.* Restat Verg. Ecl. 2, 64.

libens: Verg. A III, 438 *Iunoni cane vota libens;* VIII, 155 *ut te, fortissime Teucrum | accipio adgnosco= que libens*; XII, 145 *caelique libens in parte locarim (te).* Tib. IV, 5, 9; Prop. I, 2, 28; II, 24, 27; Ov. Met. IX, 245; XIV, 721.

maestus: Verg. A II, 280 *et maestas expromere voces (videbar)*; 769 *maestusque Crëusam | ... iterum= que vocavi.* Accedunt Ecl. 1, 36; G 1, 480; A II, 270; X, 820; XI, 52; 76; 92; 226; Tib. II, 5, 21; 6, 38; Lygd. 2, 12; Prop. I, 15, 11; III, 6, 13; IV, 11, 9; Ov. Am. I, 4, 61; Met. III, 298; XI, 274; 711; XIII, 571; Trist. I, 3, 78; 7, 16; IV, 2, 44.

malignus: Ov. Pont. IV, 6, 7 *votisque malignum | opponit nostris insidiosa pedem.*

mansuetus: Ov. Pont. IV, 5, 28 *ad vos mansuetas porrigit ille manus.*

patiens: Verg. A V, 390 *tantane tam patiens nullo certamine tolli | dona sines.*

pavidus: Verg. A II, 489 *tum pavidae tectis matres ingentibus errant.* II, 685; 766; VIII, 592; XII, 717; Ov. Met. III, 99; IX, 581.

rigidus: Ov. Pont. II, 2, 38 *nec rigidam timidis vocibus obde forem.*

sceleratus: Ov. Met. VIII, 754 *edidit haec rapta scele= ratus verba securi.*



simplex: Ov. Met. V, 535 *(virgo) dum simplex errat in hortis.*

studiosus: Tib. IV, 6, 15 *praecipiat natae mater studiosa quid optet*; Ov. Trist. I, 2, 77 *... quos quondam petii studiosus.*

summissus: Verg. A III, 93 *summissi petimus terram*; X, 611 *cui Iuno summissa* sc. *fatur* vel *respon= det.* Ov. Pont. III, 1, 149.

superbus: Tib. I, 9, 80 *et geret in regno regna superba tuo*; Prop. II, 1, 8 *gaudet laudatis ire superba comis*; 21, 7 *ille superbus | dixit*; sed cf. Cic. Acad. II, 94 *neque respondes superbe.* Ov. Met. VI, 169.

supplex: Verg. A I, 49 *supplex aris imponet honorem*; 64 *ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est.* Addo G 4, 534; A I, 664; III, 592; IV, 205; 414; 424; 535; V, 745; VI, 91; 115; VIII, 145; 382; IX, 624; X, 523 *(effatur talia supplex;* sed cf. Ov. Rem. 640 *suppliciter ... dicat ‚have'!;* addo Cic. Flac. 21 *cumque defensor suppli= citer demisseque responderat)*; XI, 559; XII, 930; Tib. I, 2, 85; Prop. I, 9, 3; II, 14, 11; IV, 5, 37; Ov. Am. I, 7, 61; II, 5, 49; Met. I, 635; II, 477; III, 8; V, 214; 514; VI, 352; 498; VII, 298; 853; VIII, 271; IX, 414; 703; X, 415; XIV, 702; Trist. II, 201; V, 2, 45.

timidus: Verg. G 3, 422 *iamque fuga timidum caput abdidit alte*; Prop. I, 18, 25 *omnia consuevi timi= dus perferre superbae | iussa*; Ov. Met. VI, 107 *timidasque reducere plantas.* De lectionibus codicum Met. X, 65 conferas quae protulit Pick p. 63; scriptura *tria qui timidus medio portante catenas | colla canis vidit* servanda esse mihi videtur; in comparationem voco locum hunc similem Met. II, 194 *vastarumque videt trepidus simu= lacra ferarum.*

## De usu comparativi et superlativi.

Priusquam quae in hoc adiectivorum usu valuerint constituere conemur, innectere mihi liceat de comparativi et superlativi usu quae memoratu digna sunt.

Adverbium comparativi nonnumquam vitatur a poetis eiusque loco invenitur comparativi adiectivum. Sed omnia huiusmodi exempla praebent adiectivi formam nominativi numero singulari positam; legimus enim, ut locum unum afferam Verg. A IV, 416 *hoc acrior idem* | . . . *telum librabat ab aure*; adverbium autem se offert IX, 791 *acrius hoc Teucri clamore incumbere magno.* Cur non posuit adiectivum *acriores?* Facile cognosces formas tales metro dactylico accommodari non posse, quia creticum pedem contineant. Contra autem invenies voces *priores* Ecl. 9, 54, *priorem* A I, 548, *meliores, languidiora* etc. versui dactylico prorsus aptas.

Quae ut melius intellegas exemplis illustrem his: Verg. A V, 454 *acrior ad pugnam redit*; IX, 416 *hoc acrior idem* | *ecce aliud summa telum librabat ab aure.* Quo loco Mediceus et Palatini prima manus scripserunt *acrior*[us], Palatini altera et Gudiani prima manus tradunt *acrius*, sed mutavit Gudiani secunda *acrius* in *acrior*, quam lectionem reliqui habent. Forma *acrior* optime respondet rationi dicendi Vergilianae; nam et aliis locis forma nominalis praefertur adverbiali: G 3, 154 *acrior instat*; A V, 454. Praeterea ipso eo quod in codicibus quamvis paucis omnino extat, lectio illa *acrior* comprobari videtur. Cum igitur hoc loco adiectivum adverbialiter positum inveniamus, adverbium ipsum nobis occurrit A IX, 791 *acrius hoc Teucri clamore incumbere magno*; cf. etiam G 4, 248 *hoc acrius omnes* | *incumbent*, propterea nimirum quia nominativus *acriores* versui repugnat. Exempla alia videamus: Verg. A XI, 697 *altior exsurgens*, item XII, 902; sed



ubi pluralis numerus, A X, 814 *saevaeque iam altius irae* | *Dardanio surgunt ductori*; Ecl. 6, 38 *altius atque cadant summotis nubibus imbres; altius* pro *altiores*; cf. Ov. Trist. I, 2, 106 *alta cadens obruat unda caput.* Verg. G 4, 80 *non densior aëre grando . . . pluit;* sed cf. Ov. Pont. I, 9, 11 *nulla tamen subeunt mihi tempora densius illis.* Verg. A V, 344 *gratior et veniens in pulchro corpore virtus*; sed cf. Ov. Pont. III, 5, 18 *gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.*

Addo Verg. G 3, 309/10 *quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra* | *laeta magis pressis manabunt flumina mammis.* Quo loco substituit Vergilius *laeta magis* voci *laetiora*; exempla similia habeo haec: Ov. Pont. III, 5, 12 *nec umquam* | *non mihi quam primo grata fuere magis*; sed cf. IV, 14, 8 *haec quia quam video gratior omnis erit* sc. *tellus.* Prop. III, 5, 48 *vos quibus arma* | *grata magis;* Prop. II, 9, 38 *tela precor pueri promite acuta magis*; Ov. Pont. IV, 9, 33 *mente magis plena;* a. a. III, 790 *vera magis vobis quam mea Musa, canet*; Ov. Trist. III, 3, 78; V, 10, 12; al. Sed redeamus ad locum Verg. G 3, 310 *laeta magis*; addendum enim est adverbium *laetius* usu non venire in lingua Latina significans »reichlicher«; itaque poeta usus est dictione *laeta magis;* sed cf. G 1, 54 *venient felicius uvae* (i. e. reichlicher).

Restant mihi exempla haec: Prop. II, 31, 1 *cur veniam tibi tardior*; sed cf. Ov. Met. III, 234 *tardius exierant.* Verg. A XII, 556 *neu mihi segnior ito*; sed cf. XII, 525 *non segnius ambo . . . ruunt.* Ov. Pont. II, 9, 10 *ne fuerit terra tutior unda tua*; Rem. 580; cf. autem I, 1, 10 *sub lare privato tutius esse putant* (cf. II, 2, 60). Verg. A V, 319 *fugit ilicet ocior Euro*; XII, 733 *fugit ocior Euro*; contra cf. VIII, 101 *ocius advertunt proras;* 278 *ocius omnes . . . libant.* Ov. Met. I, 242 *dent ocius omnes . . . poenas;* III, 209 *inde ruunt alii rapida velocius aura.*

Iam sufficiant exempla, ex quibus comparativi adverbium apparet ibi maxime admitti ubi numerus pluralis regnat; sed idem saepe iis quoque locis occurrit, ubi etiam adiectivi forma metro bene apta fuit, e. c. Prop. I, 9, 26 *acrius illa subit*; Ov. Met. II, 136 *altius egressus;* XI, 530 *vastius insurgens.*

Pauca addam de usu comparativi.

Voces ‚magis' et ‚plus' locis nonnullis permutantur a poetis. Exemplis his utar: Prop. I, 9, 11 *plus valet;* Ov. Am. III, 11, 44 *plus valet*; cf. etiam Ov. Met. XII, 583; XIV, 676. Contra Ov. Pont. I, 5, 52 *mensque magis gracili corpore nostra valet;* III, 1, 71 *si te magis ipse valerem.* Velim compares Prop. I, 16 *tantum valent;* Tib. I, 10, 56 *tam valuisse*, ubi permutatio similis occurrit. Adpono Tib. IV, 1, 42 *prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa*; Ov. Am. II, 6, 62 *ora fuere mihi plus ‚ave' docta loqui.* Quibus locis *plus* obtinet munus vocis *magis*; cf. etiam Ov. her. 12, 41; Hor. sat. I, 3, 52; ep. I, 18, 10; Plaut. Aul. 420; al. Adde Ov. Pont. III, 5, 29 *ut videar tecum magis* (i. e. *saepius*) *esse.* Comparativo *magis* etiam vim vocis *potius* subiecerunt poetae, e. c. Verg. Ecl. 1, 11 *non equidem invideo, miror magis*; Prop. I, 4, 4 (cf. Rothstein ad hunc locum); Ov. Am. III, 2, 39.

Locutio *serius ocius* Hor. carm. II, 3, 26 repetitur Ov. Met. X, 33 *serius aut citius.*

Poetae promiscue usurpant comparativos et elativos vocum *ultra, intus (intra)*: Ov. Met. VI, 367 *nec dicere sustinet ultra* | *verba minora dea*; II, 302 *neque enim tolerare vaporem* | *ulterius potuit*; Verg. A XII, 938 *ulterius ne tende odiis*; III, 480 *quid ultra* | *provehor*; cf. VI, 870. Ov. Met. VI, 306 *ipsa quoque interius cum duro lingua palato* | *congelat*; 309 *intra quoque viscera saxum est* (i. e. drinnen); sed cf. Verg. A XI, 695 *eludit gyro interior* (i. e. *intra gyrum*). Verg. G 4, 422



*intus se vasti Proteus tegit obice saxi*; 3, 137 *sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat*; A II, 486 *at domus interior gemitu miseroque tumultu* | *miscetur*; cf. Ov. Am. III, 14, 32; A II, 483 *apparet domus intus et atria longa patescunt.*

Haec habui quae de comparativo dicerem.

Superlativi adverbium quod formatum est secundum regulam et normam, numquam versui dactylico innecti potest (e. c. *acerrime, gratissime*). Qua de causa haud raro legitur superlativi adiectivum loco adverbii, e. g. Verg. A II, 612 *Hic Iuno saevissima portas* | *prima tenet*; I, 685 *cum te gremio accipiet laetissima Dido*; cf. Tib. IV, 6, 3. X, 373 *qua globus ille virum densissimus urguet*; Ov. Met. II, 137 *medio tutissimus ibis*; 807 *lentaque miserrima tabe* | *liquitur*; XII, 588; a. a. III, 523. Sed notandum est omnibus locis nullum nisi casum nominativum adhiberi (*—us, —a, —a* plural.), quia formae ceterae versui inseri nequibant.

Itaque poetae superlativum circumscripserunt iuncturas usurpantes ut *o fortunatos nimium (agricolas)* G 2, 458; *te nimium lentum timeo* Ov. Am. I, 6, 15; *o multum miseri* (i. e. *o miserrimi*) Ov. Met. IV, 155; al.

---

Ad finem enumerationis sumus progressi. Restat nunc ut breviter complectamur quae adhuc conclusimus. Primum disputavi de usu adverbiorum, quae imprimis a Vergilio et Propertio vitari vidimus; adverbia in *ê* terminata etiam Ovidius in Metamorphoseon libris raro admisit, cum in Amorum, Tristium, Ponticarum carminibus minus diligens appareat. Praeterea solus hic poeta adverbia — et

praecipue ea in *ê* — coniunxit cum verbo substantivo *esse*, quam structuram sermonis cottidiani propriam esse constat.

Diligentissime adverbia devitavit Vergilius qui ne uno quidem loco adverbia modum procedendi et affectum quendam indicantia admisit — omitto usum vocum *propere* et *suppliciter*, de quibus vide quae antea protuli p. 18 sqq. et 26.

Paene cautiorem fuisse hac in consuetudine loquendi Propertium deinde ostendi qui sedulo removit adverbia in *ê*. Cognosces igitur ex his quae statui sermonis elati proprium esse quam maxime vitare adverbia, praecipue autem ea in *ê* terminata, eorumque loco adiectiva ponere. Quem usum praedicativum ad excolendum multum valuerunt rationes tres quarum vim iam illustravi exemplis parte opusculi secunda allatis. Magnam enim seriem adiectivorum Latinorum adverbiis omnino carere aliisque adiectivis non nisi post Ovidii aetatem adverbia addita esse demonstravi; praeterea non deesse adverbia vidimus, quae propter metricas rationes versui dactylico inseri nequibant aut creticum aut quattuor syllabas breves continentia. Quamobrem poetae locis quibusdam ubi expectaveris adverbium, ponere coguntur adiectivum. Accedit poetarum cupiditas epithetorum ornantium. Varias igitur fuisse causas cognoscimus quibus poetae adducti sunt ut dicendi genus illud perpolirent atque ad artem quandam excolerent; nec non addendum esse puto hoc usu personarum et rerum actionem vividiorem fieri atque clarius lectoris in oculis exponi.

Nostrum autem hoc loco est statuere, quibus a poetis consuetudo illa syntactica elegantissime et diligentissime exculta sit; exempla enim, quibus adiectivum adverbialiter ponitur, tam frequenter inveniuntur, ut optimo iure quaeramus, qua de causa adverbia ubi adsint, illa admiserint poetae.



Qua in quaestione pertractanda loci ii sunt respiciendi quibus poetae posuerunt adverbium quamvis facile vitare potuerint, dico exemplum fere hoc (Ov. Am. I, 13, 40): *lente currite*; ubi nominalis quoque forma *lenti* versui accommodari poterat. Excludo nimirum adverbia ut *aliter, aeque, aegre, bene, certe, continuo, fere, pariter, ultro, vero* al., quorum munus adiectivorum formae *aeger, ferus* etc. obtinere nequeunt, quia vis et notio prorsus alia subiecta iis est. Etiam alia quaedam praetermittam *adsidue, subito* sim., quae non semper tam facile ut reicerentur metrum permisit; formae enim nominales *subitus, adsidua* tribrachyn continent. Denique iam antea ostendi huc non pertinere adverbia ad ipsum adiectivum vel participium augendum posita, e. c. Verg. A V, 86 *amplexus placide*; conferas etiam velim quae parte opusculi prima de adverbiorum usu congessi p. 10 sqq.

Sed ut quaestionem ipsam ingrediamur, initium capiamus ab adverbiis in *ê* terminatis. Exempla maxime digna, quae afferantur, sunt haec: Ov. Fast. III, 752 *atque avide trunco condita mella petit (Silenus)*. Facillime adiectivum *avidus* ponere potuit poeta; cf. enim Met. II, 719 *spemque suam motis avidus circumvolat alis*. Ov. Pont. II, 1, 33 *iustitiamque sui caste placasse parentis*; hoc loco sequor duce Merkelio lectionem cod. Hamburgensis *castae* i. e. *caste*; nam II, 8, 49 rursus Hamburgensis tradit *maturae* i. e. *mature*; conferas etiam, quae dixi p. 15 de permutatione litterarum *ae* et *e* locum Propertianum IV, 4, 94 tractans. Codices reliqui habent *castos . . . parentes*; sed solus Hamburgensis sensum bonum praebet. Comparari potest Verg. A VIII, 412 *castum ut servare cubile | coniugis*.

Sed pergamus et exemplis hisce utamur: Tib. I, 4, 24 *iurasset cupide quidquid ineptus amor*. Quo loco vocem *cupidus* non expectamus, quia adiectiva duo substantivo *amor* adposita tolerari non possunt; cf. etiam Ov.

Met. II, 618 *et medicas exercet inaniter artes.* Ov. Trist. V, 3, 55 *si veterum digne veneror cum scripta virorum*; sed cf. Pont. I, 9, 37 *multos habeas cum dignus amicos.* Verg. A V, 794 *exussit foede puppis et classe subegit (Iuno)*; adiectivum *foeda* quod expectamus difficile erat huic versui accommodare. Ov. Am. III, 6, 102 *iactasse indigne* (cur non *indignum?*) *nomina tanta pudet* sc. *me.* Ov. Pont. IV, 11, 20 *intempestive, qui movet illa, movat* (pro *i—us*). Ov. Am. II, 20, 27 *saepe ego lascive consumpsi tempora noctis*; cf. autem III, 7, 10 *lascivum femori supposuitque femur.* sed cf. Am. III, 4, 15/16 *constitit ut primum concessas sensit habenas | frenaque in effusa laxa iacere iuba.* Ov. Am. I, 13, 40 *lente currite*; cur non *lenti?* cf. enim a. a. I, 494 *et modo festines et modo lentus eas*; Am. II, 7, 16 *adsiduo domitus verbere lentus eat (asellus).* Am. III, 5, 17 *et lente revocatas ruminat herbas (taurus).* Sed aliter res se habet Met. III, 15 *incustoditam lente videt ire iuvencam*; nam attributum *incustoditam* non tolerat alterum *lentam* iuxtapositum. Ov. Met. IX, 374 *viximus innocuae*; sed maxime discessit a se poeta, cum dicit a. a. I, 640 *innocue vivite.* Ov. Trist. III, 4, 72 *occulte siquis amabat, amet*; a. a. II, 708 *in quibus occulte spicula tingit Amor.* Tib. I, 3, 25 *Quidve, pie dum sacra colis (Delia)*; sed cf. Ov. Am. III, 9, 37 *vive pius, moriere, pius cole sacra.* Loco Tibulliano adiectivum *pia* poni non potuit; quod si adesset, etiam ad vocem *sacra* referremus. Ov. Met. II, 771 *at illa | surgit humo pigre ..*; difficile erat formam *pigra* huic versui inserere. Ov. Am. I, 4, 45 *multa miser timeo quia feci multa proterve.* Tib. IV, 13, 18 *iuravi stulte* (praeierunt verba *quid facio demens*); exemplum simile habemus Ov. Her. I, 71 *timeo tamen omnia demens*; sed cf. I, 75 *haec ego dum stulte metuo*; cur ibi non *stultus?* Ov. Trist. I, 1, 80 *et quos | optarat stulte tangere nollet equos*; cf. etiam a. a. III, 253/4; contra Trist. III, 4, 27/28 *non foret Eumedes orbus, si filius eius | stultus Achilleos non adamasset equos*; V, 5, 39 *cum tu non stultus ab arcto | terga .. dederis.*



Exempla plurima ab Ovidii carminibus deprompta esse animadvertisti neque quisquam negabit eum in adhibenda hac figura dicendi neglegentius egisse et discinctum genus loquendi affectasse.

De reliquis adverbiorum generibus necessarium non est multa afferre. In universum effecimus adverbia in *—ô* et in *—ter* finita raro tantum a Vergilio admitti, nonnumquam apud Propertium et Tibullum occurrere, creberrime autem in Ovidii carminibus se offerre. Enumero: Ov. Am. III, 6, 2 *exequias ite frequenter aves*; sed cf. Met. VI, 159 *ite frequentes.* Ov. Am. I, 5, 11 *qualiter .. Semiramis isse | dicitur*; sed cf. Verg. A XII, 451 *qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus it mare per medium*; moneo autem adverbium *qualiter* ab Ovidio esse novatum. Prop. I, 6, 27 *multi periere in amore libenter*; expectamus adiectivum, sed forma *libentes* ab optimi generis scribendi auctoribus vitatur; contra apud Plautum invenitur. Ov. Rem. 640 *suppliciter ... dicat ‚have'!*; sed cf. Verg. A X, 523 *effatur talia supplex.*

Sed haec sufficiant.

Si oculos nunc revertimus totam ad enumerationem et ad exempla a prosa oratione deprompta, mirum esse nemo negabit quod apud poetas usus ille praedicativus tam late pateat. Primo loco Vergilius dignus est qui nominetur; is enim — neque alius quisquam antea — in hac figura dicendi ratione quadam et consilio usus est adverbia prorsus devitans. Conferatur modo Lucretius qui adhibet I, 11 *cupide*, item I, 20; I, 62 *foede*, item I, 85; *large* 230, *rapide* 294, *occulte* 314 etc.; e contrario Vergilius nullo loco admisit adverbia modum procedendi et affectum quendam indicantia, ceteris raro tantum usus est. Quae

abstinentia tum propria facta est sermonis elati atque ad perfectionem quandam adducta apparet in Vergilii carminibus; contraria autem est prosae orationi et comicorum rationi dicendi, quas modo adverbio modo adiectivo promiscue uti animadvertimus; denique distinguenda illa est etiam ab oratione qua utitur Lucretius apud quem usus praedicativus satis raro occurrit.

Ad Vergilium quod attinet hanc abstinentiam, proxime accedit Propertius quem imprimis adverbia in *ê* terminata caute vitare demonstravi; minus elegans Tibullus. Neglegentissime autem maximeque licenter hac figura dicendi usus est Ovidius in carminibus amatoriis, cum in metamorphoseon libris cautiorem se praestititerit.

Sed ex omnibus praestantissimus et elegantissimus elucet Vergilius, quod et eo comprobatur: Omnibus temporibus Maronem hoc in usu studiose imitati sunt posteriores et sermonis pedestris auctores (Tacitus, Livius al.) et poetae dactylici (imprimis epici Statius, Silius al.), quorum tamen nemo ad exemplar prope accessit nisi unus — dico Claudianum — qui in hac figura syntactica adhibenda cautissime et diligentissime vestigia pressit Vergilii.

Opusculi ad finem pervenimus, iamque spero me iis quae protuli de usu adiectivorum praedicativo, clare ostendisse quantum imprimis rationes metricae ad hanc figuram excolendam valuerint. Valde autem dolet me explorare non potuisse quatenus in ea imitati sint poetae Latini sermonem dactylicorum Graecorum. Quae ut disputatione persequatur, statim exoriatur aliquis; magnam enim vim habuisse poetas dactylicos Graecos ad Latinorum poetarum sermonem conformandum nemo nescit.

# Index locorum de quorum lectione actum est.

# Vita.

---

Hubertus Hermannus Priess Ahrensboeci, in episcopatu Lubecensi a. d. XIII. Kal. April. MDCCCLXXXVI Henrico patre, matre Emma e gente Sach natus sum. Fidem profiteor evangelicam luthericam. Civis Oldenburgensis sum.

Primis litterarum elementis in schola Ahrensboecensi instructus gymnasium Lubecense cui nomen est Catharineum, ab anno 1898 frequentavi. Maturitatis examine superato anno 1904 Marpurgum profectus sum, ut studiis antiquarum et historicarum litterarum operam darem. Vere anni 1906 academiam Monacensem adii, ubi non diutius sex mensibus commemoratus Marpurgum reverti. Hic ego examen rigorosum superavi die 28. mensis Iulii anni 1909 atque ad diem promotionis versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi hi: Birt, Furtwaengler †, Glagau, Kalbfleisch, Klebs, Lipps, Maass, Menzer, Mirbt, Natorp, Niese, v. d. Ropp, Schiedermair, de Sybel, Thiele, Thumb, Varrentrapp.

Ad proseminarium philologorum benigne me admiserunt Birt, Maass, Thiele, ad seminarium Birt, Kalbfleisch, Maass. Praeterea seminariorum historicorum membrum ut essem, permiserunt Klebs (per duo semestria), v. d. Ropp (per unum semestre). Denique exercitationibus quas habuit Thumb, interfui per sex menses.

Quibus viris doctissimis omnibus gratias ago magnas, imprimis autem gratiam summam habeo semperque habebo Birtio qui ad hanc materiam tractandam me invitaverit et opera consilioque maxime me adiuverit.

---